MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80599-5

AUTHOR:

KRAWCZYNSKI, EUGEN

TITLE:

DE HIATU PLAUTINO

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

1906

Master Negative #

92-80599-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books      FUL/BIB   NYCG92-B31748           Acquisitions     NYCG-PT
Record 1 of 0 - Record added today
+
   ID:NYCG92-B31748                RTYP:a    ST:p    FRN:    MS:    EL:      AD:05-06-92
   CC:9668  BLT:am        DCF:?    CSC:?    MOD:     SNR:        ATC:        UD:05-06-92
   CP:cs       L:lat      INT:?    GPC:?    BIO:?    FIC:?       CON:???
   PC:s        PD:1906/            REP:?    CPI:?    FSI:?       ILC:????    II:?
   MMD:        OR:     POL:     DM:     RR:          COL:        EML:        GEN:    BSE:
   040      NNC=|cNNC
   100 1    Krawczynski, Eugen.
   245 10   De hiatu Plautino=|h[microform].=|bDissertatio inauguralis quam...=|cp
ubl
         ice defendet Eugenius Krawczynski.
   260      Vratislaviae,=|bR. Nischkowsky,=|c1906.
   300      56 p.
   LDG      ORIG
   QD       05-06-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 6-8-92 INITIALS m.D.C

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM


Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202











MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

De hiatu Plautino

Dissertatio inauguralis

quam amplissimi philosophorum
Vratislaviensium ordinis consensu et auctoritate
ad summos in philosophia honores
rite capessendos

die XIII mensis Iunii anni MCMVI hora 12

publice defendet

Eugenius Krawczynski
Posnaniensis

Idem oratione ostendet,
quot histriones egerint Aeschyli Prometheum



Vratislaviae
R. Nischkowsky
MCMVI

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
Franciscus Skutsch

Francisco Skutsch
sacrum

Varias vias ingressi sunt viri docti, ut quaestionem intricatissimam de hiatu Plautino, quatenus ab ipso poeta admissus esset, quatenus librorum scriptorum corruptelis invectus, solverent. Tamen nemini contigisse arbitror, ut, quae ipse sibi persuaserat, etiam aliis praeter paucos persuaderet, ne Hermanno Iacobsohno quidem, qui in dissertatione Gottingensi anni h. s. IV. (Quaestiones Plautinae metricae et grammaticae) ultimus de hac re egit[1]). Tantum acuminis et diligentiae si quis frustra impensum esse viderit, dubitabit credo, num omnino de hiatu ita cum fructu disputari possit, ut aut singuli loci hiantes ad unum omnes in examen vocati critice pertractentur aut omnes ad certas quasdam regulas redigantur. Certe operae pretium videbatur novam quandam viam tentare ab hac et ab illa diversam, qua in via nec verendum erat, ne praeiudicatis opinionibus de hoc vel illo hiatus genere sive admisso sive excluso irretirer, nec timendum, ne crisis in singulis locis factitandae difficultatibus succumberem. Iussit me igitur F. Skutsch eas comoediarum Plautinarum partes, quae et in Ambrosiano et in Palatinis servatae sunt, pertractare eo consilio, ut locis qui in altera recensione hiatum habent, in altera non habent, congestis appareret, et quantum auctoritatis lectionibus hiantibus tribuendum esset et qua via hiatus irrepsisset, siquidem eum irrepsisse demonstrari posset. Ego etsi omnibus fere locis lectionem non hiantem vel hiatus defensoribus per se probari crediderim, tamen in unoquoque versu, quoad fieri potuit, id operam dedi, ut argumentis confirmarem lectionem non hiantem genuinam esse[2]).

[1]) Admittendos esse censet hiatus in arsi quarta senarii iambici, secunda et sexta septenarii trochaici.

[2]) Numeros versuum attuli secundum editionem a Goetzio et Schoellio curatam.

A. Pars Prior.

Hiatus in P, nullus hiatus in A.

Caput I. Hiatus invasit, quia exciderunt vocabula tota in archetypo Palatinorum.

§ 1. Vocabula, quae omiserunt Palatini, per haplographiam in eorum archetypo exciderant.

Vocabula non in A adiecta esse ad tollendos hiatus, sed iam exstitisse in archetypo communi facile apparebit in eis versibus, quos primo perlustrabimus. Nam cum lectio hians aut metrum aut sensum habeat corruptum aut parum congruat cum consuetudine sermonis Plautini, confirmatur non adiecta esse vocabula in A, sed excidisse in P.

α) Iam ad eos versus accedamus, in quibus lectionem non hiantem veriorem esse argumentis confirmare possumus.

Capt. 907

nunc ibo | ut praefecturam | et ius dicam larido

Sic P, quae falsa esse in promptu est. A exhibet

nunc ibo, ut pro praefectura mea ius dicam larido.

Praepositionem *pro* opinor primum excidisse per haplographiam, tum librarium ea effecisse, quae tradunt Palatini.

Cas. 599 sq. nempe tute díxeras

tuam árcessituram ésse | uxorém meam.

Sic P, at in A legitur

tuam accérsituram esse úxorem uxorém meam,

quae confirmantur versu Cas. 613 sq. *ego iam per hortum iussero || meam istuc transire uxorem ad uxorem meam.*

Epid. 671 hac est specie

in P: quót illic hodie mé | exemplis lúdificatust átque te,

in A: quót illic homo hodié me exemplis lúdificatust átque te.

Apud Plautum *illic homo* saepissime usurpari constat (locos congessit Luchs Herm. VI p. 278 sq.); moneo autem in v. 666 de eodem viro item dictum esse *illic homo : satin illic homo ludibrio nos . . habet?* Itaque exploratum est librarium a priore syllaba vocis *homo* ad vocem *hodie* oculis aberravisse. Cf. Epid. 26 *hominem hodie* P, *hodie* A cum hiatu.

Men. 560 sq.

ubi vír compilet clánculum quidquid domist

atqué | ad amicam déferat? ‡ quin tú taces?

Sic P cum hiatu, at in A alter versus talis exstat:

atque éa ad amicam déferat? ‡ quin tú taces?

Ambrosiani lectionem Brix-Niemeyer comparant cum vss. Rud. 356 sq. *auferre vóluit || in Síciliam et quidquíd domi fuit ín navem imposi⟨v⟩it || ea núnc perierunt ómnia.* Lectionem non hiantem ex usu Plautino esse praeterea demonstratur eis, quae dixit Bachius in Studem. Stud. II, 366 sq. In versu autem nostro quod scriptum erat *atqueeaad,* facile *ea* intercidere potuisse apertum est.

Most. 780 sq. tales sunt in P:

nam múliones múlos clitellários

habént, ego habeo | hómines clitellários.

Nullum hiatum habet A, qui codex tradit:

habént, at ego habeo hómines clitellários.

Hic quoque in promptu est *at* post *habent* facile excidere potuisse, lectionem autem Ambrosiani confirmaverim versibus Rud. 400 sq. *nam múlta praeter spém scio multís bona evenísse || ‡ at ego étiam qui speráverint spem décepisse múltos.* Stich. 159 sq. *nam illa me in alvo menses gestavit decem || at ego illam in alvo gesto plus annos decem.* Stich. 694 *Batiochis bibunt, at nos nostro Samiolo poterio.*

Poen. 921

quae aúdivistis módo, nunc si eadem hic iterum iterem, inscítiast.

Sic A, cum Palatini et sensum et metrum habeant corruptum:

quae aúdivistis módo, nunc si eadem hic iterum, inscítiast.

In hoc versu ex *iterumiterem* factum est *iterum*, in versu quem nunc afferam ex *malomale* factum est *malo*.

Pseud. 197
lánios, qui item ut nós iurando iúre malo male quaérunt rem, audi A
lánios qui item ut nós iurando iúre malo quaerúnt rem | audi P.

Lorenz ad h. v. confirmat lectionem non hiantem his locis: Men. 602 *viro malo male nuptam,* ib. 977 Cas. 826 Pseud. 784. 909 b. 1006.

Pseud. 642
réddere hoc, non pérdere | erus misit. non certó scio.

Sic P, ubi *me*, qua vocula sententia prior carere non potest, facile per haplographiam ante *misit* excidere potuisse apparet. In A codice, qui *me* servavit et pro *non* exhibet *nam*, videtur fuisse *me iussit*, litteras vero *iussit* incertas esse testatur Studemundus. Editores consentiunt Plautum scripsisse:

reddere hoc, non perdere erus me misit. nam certo scio.

---

*Stich. 373
vénit inquam ⁜ tútin ipsus ipsum vidisti ⁜ lubens.

Sic A. In P *ipsus* ante *ipsum* intercidit, et ante *lubens* legimus *ita ego*, pro *tutin* autem *tun eum:*

venit inquam ⁜ tun eum ipsum vidisti | ⁜ ita ego libens

Locos, quibus *ipsus ipsum* redeat, non repperi; firmatur autem ea locutio similibus velut Pseud. 1142 praesens praesentem, 1260 alter alterum etc., quas congessit Kellerhoff Studem. Stud. II 58 et Kiessling Mus. Rhen. 23, 411 sq.

β) Eis locis, quos iam afferam, etsi fortasse propriis argumentis demonstrari non potest lectionem hiantem falsam esse, tamen nemo credo dubitabit, quin verior sit lectio non hians:

Poen. 495
nisi | auscultas aút is in malám crucem P
nisi aut auscultas aut is in malam crucem A

Hic apertum est *aut* ante *ausc* facile excidere potuisse.

---

* Recepimus etiam eos locos, quibus hiatur in dihaeresi versuum longiorum, in personarum mutationibus, in interiectionibus, sed stellam eis locis ascripsimus.

Stich. 154
séd tamen volo intervisi; própera | actutúm redi P.

In A exitus versus talis est: *propera atque actutum redi.* Hic quoque in promptu est *atque* ante *act* facile intercidere potuisse. Ea vox ante *actutum* redit Cas 295 *intro abi atque actutum uxorem huc evoca ante aedis cito.*

§ 2. Exciderunt vocabula, quia suprascripta erant in archetypo communi.

Transgredior ad aliud corruptelarum genus, cui Palatini quosdam hiatus debent.

α) Loci autem, quibus lectionem hiantem deteriorem esse patet, sunt:

Cas 91 et 92 ubi A
quid tú malum me séquere? ⁜ quia certúmst mihi,
quasi umbra, quoquo tu ibeis, te semper sequi.

At in Palatinis exstat versus posterior in hanc speciem deformatus:

quasi umbra quoquo | ibeis tu te persequi.

Alteram partem versus in archetypo P damnum traxisse vel inde patet, quod ex *semper sequi* aperto errore *persequi* factum est. Atque Ω[1]), ut opinatur Skutschius, exhibebat:

tu
quoquo ibeis te semper sequi

quae recte posuit A, cum P fecerit

tu
quoquo ibis te semper sequi

ex eis autem

quoquo ibis te tu persequi

et pronominibus recte collocatis

quoquo ibis tu te persequi.

---

*Most. 971
qui, postquam pater ád mercatum | ábiit hinc, tibicinam liberavit.

Sic cum hiatu P, at in A legimus:

qui, postquam pater ád mercatum hinc ábiit, hic tibicinam liberavit . . .

---

[1]) Littera Ω archetypum recensionum A et P communem significavimus.

Quam lectionem veriorem esse patet, cf. ib. 957 sq. *póstquam* ***hinc*** *peregre eiús pater* || *ábiit, nunquam* ***hic*** *tríduum unum désitumst potárier.* Discrepantiam autem scripturae inde repeto, quod in Ω exstiterit:

hinc
ad mercatum abiit hic tibicinam.

Alter librarius versum recte restituit, alter pro *hic* ponendum esse *hinc* falso censuit. Nam cum in universum iam Seyffertus Berl. phil. Woch. 1896 p. 252 et 283 monuerit in archetypo communi librarios vel grammaticos multas voces super versus posuisse, nos quoque nonnulla praeterea eius rei exempla proferemus.

Poen 1147 sq. tales leguntur in A

tu abdúc hosce intro et úna nutricém simul
iube hanc abire hinc ad te ǂ fac, quod imperat.

In P legimus

iubé | abire hanc ad te ǂ fac quod imperat.

Itaque probabile videtur exstitisse in Ω

hanc
iube abire hinc ad te . . .

Adverbium *hinc,* quod hoc loco idem est atque *a me,* a Plauto saepe cum verbo abeundi coniungitur; exempla vide apud Bachium Studem. Stud. II p. 199 sq. et Lodge lex. Plaut. p. 14 sqq.

---

*Stich. 90 speciem habet hanc:

in P: sálve, mi pater. ǂ ét vos ambae | ilico agite adsidite,
in A: salve, mi pater. ǂ et vos ambae ilico agite istic adsidite.

Cum versus, qui est in A, in metrum redigi non possit, C. F. G. Muellerus Pros. Plaut. p. 332 putavit scribendum esse: *agite ilico isti* (pro *istic*) *adsidite,* aut: *isti ilico agite adsidite.* Palatini in eo versu carent voce *isti,* quam recte positam esse videntur demonstrare Most. 1064 *ílico intra límen* ***isti*** *astáte;* Merc. 912 *óptume advenís: puere cape chlámydem atque* ***isti*** *asta* ***ílico*** (quam lectionem defendit Seyffert, Bursians Jahresber. 47, 101 adn.); Rud. 836 *non cedam potius:* ***illic*** *astate* ***ilico.*** Cf. etiam Most. 1143 *surge ego* ***isti*** *adsedero.* Stich. 92 sq. *adside hic pater ǂ non sedeo istic.* Itaque probabile est vocem *isti* in P excidisse et, quia in A in falsa sede est, in Ω suprascriptam fuisse.

Truc. 302 sic est traditus in A

égo istunc non novi ádulescentem vóstrum ǂ veron sério.

Consensus autem Palatinorum docet iam in eorum archetypo fuisse:

ego nunc novi | adulescentem vostrum ǂ veron serio

qua scriptura sensus foede est corruptus. Itaque ego conicio veram lectionem in A restitutam in Ω sic scriptam fuisse

non
ego istunc novi

quod librarius P perperam in *ego nunc novi* contraxit.

β) Addo locos, quibus vix quisquam negabit lectionem non hiantem praeferendam esse, etsi eam propriis argumentis defendere non possum.

Most. 1067 talis est

in P: cúius ego | hic lúdificabor córium, si vivo, probe,
in A: cuius ego hodie ludificabor corium, si vivo, probe.

Leo et Goetzius - Schoellius secuti sunt Ambrosianum. Skutschius autem in scholis censebat fuisse in Ω

hodie / hic
aut: cuius ego hic / aut: cuius ego hodie

et scribendum esse:

cuius ego **hodie hic** ludificabor corium, si vivo, probe.

Coniunctionem vocabulorum **hodie hic** Plauto familiarem fuisse docent versus Amph. 334 *metuo vocis ne vicem hodie hic vapulem,* Pseud. 1197 *nihil est* ***hodie hic*** *sycophantis quaestus* P, ubi in A exstat: *nihil est* ***hodie*** *sycophantis quaestus.*

Poen. 701 talis est

in P: ibi té replebo | úsque unguentum egeúmatis
in A: ibi ego te replebo usque unguentum geumatis.

Quae praebet A, Leo, qui in mensura inusitata *rḗplebo* non offendit (confert autem Capt. 918 rḗclusit), in textum recepit: *ibi ego te replebo usque* etc. Ego vero, cum inter tot versus Plautinos nusquam alibi *pl* vel *cl* vocalem natura brevem producere videantur, in utroque versu graviter offendo. Atque vocem *ego* in Ω suprascriptam fuisse, in A in falsam sedem migrasse, in P praetermissam esse puto; scripserim autem cum Gepperto et Muellero:

ibi te replebo ego usque unguentum cheumatis.

§ 3. Qua via vocabula exciderint, investigari non potest.

Progredior ad eos versus hiantes, in quibus etsi perspicuum est vocabula in archetypo P excidisse, tamen investigare non potui, qua via interciderint.

α) Atque omnibus fere locis lectionem non hiantem veriorem esse apparebit.

Bacch. 489 in A Studemundo teste sine hiatu est

pérdidisti mé, sodalis . égone ut illam múlierem
capitis non perdam? . .

at Loewio A videtur idem habere quod P. In P deest *ut*, itaque hiatur in: *égone | illam múlierem.* Cf. Warren Americ. Journ. of Phil. II p. 78 ubi loci afferuntur, quibus *egone ut* usurpatur apud Plautum et Terentium: Aul. 690. Bacch. 637. Pseud. 516. Eun. 771. Phor. 955. Vide etiam Truc. 441 *egone illam ut non amem? egone illi ut non bene velim?*

Cas. prol. 47 in P duo hiatus, quorum alter non est in A

postquám | adolevit ád eam | aetatem út viris
placere posset . . .

Sic P, in A legimus: *postquam ea adolevit* etc. Hic id unum ad tuendam Ambrosiani lectionem dixerim de interpolatione cogitari non posse, quod alter hiatus, qui est post *eam,* relictus est.

Cas. 111

tu | íllam ducas? hércle me suspéndio P
tun illam ducas? hercle me suspéndio A.

Cf. Pers. 135 *tun illam vendas? immo alium adlegavero.*

Plures locos, quibus *tun* sequente vocali redit, congessit Schrader, Diss. Arg. VIII p. 270, velut Asin. 700. Aul. 756. Bacch. 253. 1163 etc.

Cas. 672

me | óccidet? ≠ án quippiam ád te attinét? ≠ vah P.

Caput versus tale est in A: *men occidet.* Locos, quibus *men ten* ante vocalem positum est, vide apud Schraderum, l. c. p. 271. Cf. e. gr. Men. 786 *men interrogas?* 1050 *men hodie usquam convenisse te, audax, audes dicere?* Poen. 368. Stich. 254 etc.

Epid. 5

cérte | oculis úteris P
satis recte oculis uteris A.

Cf. Mil. glor. 799 *ego recte meis auri⟨bu⟩s ut⟨or⟩.* Plures locos attulit Leo ad Epid. 5.

Epid. 246

quid ego ex te aúdio?
≠ hóc quod actumst. égomet postquam id illas audivi loqui.

Sic A, in P versus alter caret copula est, itaque hiatus in: *hoc, quod actum. | egomet . . .* Cf. Amph. 698 *vigilans id, quod factumst, fabulor.* Amph. 599 *ordine omne ut⟨i⟩ quidque actumst, dum apud hostis sedimus.* Bacch. 1097 *omniaque, ut quidque actumst, memoravit.* Trin. 578 *dic hoc negoti, quomodo actumst. ≠ ibitur.* Quibus locis lectio non hians videtur satis confirmata. Moneo autem Plautum raro copulam omisisse, cf. Ritschelii Proleg. p. 107 sqq. E. Baumann, De Terentiano verbi substantivi usu Progr. Mannheim 1890. Imprimis vero copula semper posita videtur in enuntiatis relativis, sed exempla huius rei afferre longum est.

Epid. 475

age áccipe hanc sis ≠ quaé | intemperiaé tenent?

Sic P, at in A est talis exitus eius versus

quae te intemperiae tenent?

Meliorem fieri sensum in A patet, cf. praeterea Mil. glor. 434 *tibi ego dico, heus Philocomasium ≠ quae te intemperiae tenent?* et Aul. 71 *nescio pol, quae illunc hominem intemperiae tenent.* Vide Langen Symb. p. 107 et Lorenz ad Mil. glor. 434.

Epid. 490

nam pró fidicina | haéc supposita | ést tibi.

Sic P, at in A legimus

nam pro fidicina haec cerva supposita est tibi,

ubi vox *cerva* quam facete a Plauto (sive a poeta Graeco) posita sit, neminem fugit.

---

*Epid. 550

nóvin ego te? ≠ si égo te novi, | ánimum inducam, uti noveris P,
novin ego te? ≠ si ego te novi, animum inducam, ut tu noveris A.

In hoc versu *ut tu noveris* opposita sunt vocibus *si ego te novi.* Pro *ut tu* autem saepius scriptum est *ut,* vide § 15 ad Pers. 433 sq.

Epid. 622

haéc est. estne | út tibi dixi? aspécta haec contempla Épidice P
haec est. estne ista ut tibi dixi? aspecta et contempla Epidice A

ubi pro *ista* recte scripserunt viri docti *ita.* Lectio Ambrosiani commendatur usu Plautino, qui cognoscitur his locis: Trin. 1132 *est ita ut tu dicis,* Capt. 124 *ita ut dicis,* Capt. 677 sq. *fateor omnia || facta esse ita ut ⟨tu⟩ dicis.* Most. 95 *profécto esse ita út praedicás vera víncam.* Cf. etiam Trin. 306. 307. 1098.

Men. 301

neque hércle | habeo néque te, quis homo sis, scio P
neque hercle ego habeo neque te, qui homo sis, scio A.

Cf. versum 509 ab eodem Menaechmo dictum: *neque hercle ego uxorem habeo neque ego Erotio | dedi nec pallam surrupui* etc. Conferas velim etiam Asin. 37 *neque hercle ego istuc dico nec dictum volo.* Aul. 764 *te abstulisse ∓ neque edepol ego dixi neque feci ∓ negas?* Frg. XLI (Goetz-Schoell) *neque ego ad mensam publicas res clamo neque leges crepo.* Men. 630 *neque edepol ego prandi neque hodie huc intro tetuli pedem.* In eis omnibus versibus prius enuntiatorum colon habet *neque ego* alterum *neque.*

Merc. 461

cértumst? censen cértum | esse? quin ad navem iam hinc eo P.

In A prior pars versus talis est:

cértumnest? censén certum esse?

Quam scripturam praestantiorem esse docent exempla haec: Capt. 732 *certumnest tibi istuc? ∓ non moriri certius.* Cist. 509 *satin istuc tibi in corde certumst? ∓ quin ego commentor quidem.* Poen. 496 *malam crucem ibo potius ∓ certumnest tibi?* Stich. 141 *certumnest neutram vostrarum persequi imperium patris?* Stich. 613 *certumnest? ∓ certum ∓ edepol te hodie lapide percussum velim.* Quibus locis *certumnest* traditum est, at in uno illo versu in quo legimus *certum est?* (Pers. 221) *quíd ais? certum | ést celare, quó iter facias, péssuma* Leo post Camerarium edidit: *certumnest.* In v. Asin. 308, ubi *certumst credere?* Goetz-Schoell., Leo signum interrogationis non posuit.

Mil. glor. 791

itaque eam huc ornátam adducas éx matronarúm modo A
itaque eam huc ornátam | adducás matronarúm modo P.

In P habemus versum vitiosum, nam caret dihaeresi, in A quae traduntur, confirmantur versu Cist. 562 sq. *ubi ex Tusco modo || tute tibi indigne dotem quaeras corpore.* Vide Brix-Niemeyer ad Mil. glor. 791.

Mil. glor. 256

cito domum transire | atque | haéc ei monstra, praécipe P

vel cum uno hiatu pro duobus, si *ēi* legeris. Lectionem A codicis:

cito domum transire atque haec ei dice, monstra, praecipe A

possum confirmare versu Capt. 359 *núnc tu illum si illo és missurus, díce, monstra, praécipe,* ubi *monstra* pro *demonstra* recte emendavit Camerarius. Similia autem exempla triplicationis reperiuntur in vss. Capt. 895. Pers. 331. Trin. 225. 238. 289. 386.

863 et in multis aliis, e quibus praeter cetera ad rem nostram facit Trin. 854 *quaé voluit, mihi dixit, docuit ét praemonstravit prius.*

Mil. glor. 1409

lóquere. ∓ non volui nec factumst . viduam | esse cénsui P,
loquere. ∓ non volui nec factumst . viduam hercle esse censui A.

In hoc versu *hercle* eadem est notione, qua *nam,* sicut in versu Epid. 116 *si hercle haberem.* Vide Hand Turs. III p. 58.

---

*Most. 673

non in loco emit pérbono | ? ∓ immo óptumo P,
non in loco emit perbono? ∓ immo in optumo A.

Geppertus Stud. II p. 5 sq. defendit scripturam hiantem, quod ea evitetur falsus diiambus, qua de opinione non est, cur verbum addam. At scripturam non hiantem satis confirmatam esse puto versu Amph. 805 *in eodem lecto* (sc. accubuisti)? ∓ *in eodem* ∓ *non placet convivium.* Plures eius generis versus attulit Abraham Stud. Plaut. p. 185 adn. 1, quibus docet, si quis tali modo (quali Most. 673) interroget vel respondeat, praepositiones apud Plautum repeti solere.

Most. 767—769 tales sunt in P

sol sémper hic est úsque a mane ad vésperum,
quasi flagitator astat usque ad ostium
nec mi umbra | usquamst, nisi si in puteo quaepiamst.

Quorum versuum primo melius respondet versus tertius, qualis est in A:

nec mi umbra hic usquamst, nisi si in puteo quaepiamst.

Most. 793

quid núnc? ∓ vise spécta tuó | arbitrátu P
quid nunc? ∓ vise specta tuo usque arbitratu A [1]).

In eo versu *usque* idem est atque *quam diu voles* (cf. Lorenz ad h. v.), quae ad sensum aptissima sunt. Cf. Bacch. 1126 *derídere nos ∓ sine suo úsque arbitratu,* ubi habemus idem metrum et simillimum exitum versus.

---

*Most. 937 sq.

heús reclude, heus Tránio, etiamne áperis? ∓ quae haec est fábula?
∓ etiamne aperis? Callidamati nostro advorsum venimus.

---

[1]) Nam nil moror, quod A *visa* scripsit et personae spatium ante *tuo* habet.

Sic A. In posteriore versu Palatini exhibent *etiamne,* in priore *etiam* cum hiatu. Ante vocalem saepissime in codicibus Plautinis *etiamne* legitur (Schrader p. 289 locos 17 attulit). Quare nostro quoque loco eam formam interpolatori vix quisquam tribuat.

Most. 950
nón hic Philolachés adulescens hábitat hisce | aédibus.

Sic P, cum in A legamus in exitu versus: *hisce in aedibus.* Hoc ex usu Plautino esse docent exempla, quae larga manu promere possum velut Amph. 97. Cas. 36. Men. 307. 820. Most. 402. Poen. 78. 95. Trin. 12. Vid. 58 et multa alia.

Most. 1016 sq. tales sunt in P
quid aútem? ⁜ quod me | ábsente | hic filius
negóti gessit ⁜ mécum ut ille hic gésserit

Versus prior talis est in A
quid aútem? ⁜ quod me absénte hic tecum filius.

Lectionem hiantem nemo defendet.

---

*Pers. 183 sq.
sátin haec tibi sunt pléna et certa? sátin haec meministi ét tenes?
⁜ melius quam tu, qui docuisti. ⁜ ain vero, verbereum caput.

Sic A; vocem *tu,* quam recte se habere sententiarum ratio docet, omiserunt Palatini:
melius quam, qui docuisti | ⁜ ain vero, verbereum caput.

Pers. 298
nam umbrá mea | intus vápulat ⁜ ut istúnc di deaeque pérdant P

In A nullus est hiatus et sententia aptior, praecedit enim: *potin abeas? ⁜ abigis facile:*
nam umbra mea iam intus vapulat. ⁜ ut etc.

Pers. 529. Dordalus v. 520 sqq. recitat epistulam:
iste qui tabellas ádfert, adduxit simul
forma expetenda liberalem virginem
furtivam, abductam ex Arabia penitissuma eqs.

Idem postquam recitavit tabellas, quaerit v. 529
(iám mihi credis? ⁜) úbi nunc illest hóspes qui hasce huc áttulit?

Sic A. Ea meliora sine dubio sunt quam quae sunt in P:
iam mihi credis? ⁜ ubi nunc illest hospes qui | hasce attulit.

Cf. Bacch. 1121 b *Quis hásce huc ovis adégit?* Pseud. 1131 *Venus mihi haéc bona dat, quom hosce húc adigit.*

Pers. 549
sátin Athenae tibi sunt visae fórtunatae atque ópiparae? A.

In P deest *sunt,* itaque versus caret dihaeresi et repugnat legi dipodiarum sive sic legimus:
sátin Athenae tibi visae fortúnatae | atque ópiparae? P
sive sic: *fortunatae atque | opiparae?*

---

*Pers. 576
quid agis hospes? ⁜ vénio adduco | hánc, ut dudum dixeram P,
quid agis hospes? ⁜ venio adduco hanc ad te, ut dudum dixeram A.

Adducere ad te (me, nos) cum accusativo obiecti saepe usurpatur: Bacch. 527. Epid. 294. Merc. 562. 904. Poen. 646. 658. Pseud. 698. 757. 867. Rud. 497. 1210. Truc. 114.

Poen. 362
dúm te exspecto néque | usquam aliam míhi paravi cópiam P,
dum te exspecto neque ego usquam aliam mihi paravi copiam A.

Leo, Anal. Plaut. I 24 sq. complures versus attulit, in quibus pronomen velut *ego,* quod ἀπὸ κοινοῦ positum est, secundo verbo appositum est, cf. e. gr. Asin. 141. Curc. 175. Epid. 217. Mil. 642. Etiam noster versus a Leone affertur.

---

*Poen. 594
sátis praeceptúm | ⁜ hic trecentos númmos numeratós habes P.

In A legimus: *satis praeceptumst ⁜ hic trecentos etc.* Cf. Bacch. 158 *satis historiarumst. ⁜ hic vereri perdidit.* Capt. 125 *sed satis verborumst: cura quae iussi atque abi.* Cf. etiam, quae ad Epid. 246 adscripsi supra p. 9.

Poen. 706
quin hércle accipere tú non mavis quam égo dare.

Sic A. In P legimus cum hiatu: *qui | hercle accipere etc.* Lectionem autem non hiantem confirmaverim versibus, quos attulit Kienitz, De quin particulae apud priscos scriptores latinos usu Progr. Caroliruhae 1878, p. 8: Cas. 609 *quin hércle di te pérdant postremo quidem.* Truc. 327 *quin hércle lassus iám sum durandó miser.*

Pseud. 371 ecquid té pudet?

ǂ tén amatorem ésse inventum inánem quasi cassám nucem.

Sic A. In P autem legimus: *te | amatorem etc.* Olim scriptura *ten* offensioni erat Ritschelio, qui *ted amatorem* scribendum esse censebat, postea in Nov. exc. Plaut. I p. 44 scripturam *ten amatorem* praetulit. Offensioni erat *ten,* quod ea sententia pendet ex verbo *pudet* versus prioris. At confirmatam videmus lectionem non hiantem versu aliquo a Cicerone allato, ad quem delegavit Warren, qui de versu nostro in Americ. Journ. of Phil. II p. 55 sqq. fusius egit. Versus est:

Cic. de Div. I 31, 66 (= Enn. trag. 47 Ribb.): hoc dolet

mén obesse, illós prodesse, me óbstare, illos óbsequi.

Pseud. 373

nisi mihi hodie attúlerit miles quinque, quas debét, minas,

sicut haec est praestituta summa ei argento dies.

Sic A. In versu priore Palatini non habent *hodie,* quam vocem recte exstare in A e versu posteriore elucet. Palatini igitur hiant in secunda arsi:

nisi mihi | attulerit miles quinque, quas debet, minas.

Pseud. 375

si is non aderit, pósse opinor fácere | officiúm meum P,

si id non adfert, posse opinor facere me officium meum A.

Versus Palatinorum etiam caput habet corruptum, itaque credibile est *me* corruptela excidisse, etsi lectio hians non repugnat usui Plautino, nam *me te eum eam* interdum in accusativi cum infinitivo structuris omittuntur. Vide Votsch, Quaestiones de infinitivi usu Plautino Diss. Hal. II 1876 p. 51 sq.

Pseud. 655 talis est in A secundum Loewium

hóstis vivos rápere soleo ex ácie, ex hoc mihi nómen est;

Studemundo videtur *eo hoc* pro *ex hoc* fuisse in A. In P cum neque *eo* neque *ex* traditum sit, sensus fit deterior:

hóstis vivos rápere soleo | éx acie hoc nomén mihist[1]).

[1]) Neutra recensione verum traditur, tamen lectio non hians videtur in archetypo fuisse:

Pseud. 856

ut nóstra properes ámmoliri | ómnia P,

ut nostra properes amoliri devita omnia A,

Pseud. 866 sq. tales leguntur in A (nisi quod *doce* addidi ex P)

habe módo bonum animum ǂ quaéso, qui possúm, doce,

bonum animum habere, qui te ad me adducam domum?

In P metrum et sensus graviter turbantur voce *bonum* in posteriore versu omissa:

animúm | habere quí te ad me adducám domum.

Pseud. 1216

simbolum qui | hóc accepit . míra sunt ni Pseúdolust P,

sumbolum qui ab hoc accepit . mira sunt ni Pseudolust A.

Hic meliorem praeberi sensum in A patet.

Pseud. 1315

ego | istum onerem? ǂ onerábis scio P,

egone istum onerem? ǂ onerabis scio A.

Cf. Amph. 747 *égone istuc dixí? ǂ tute istic étiam adstante hoc Sósia.* Most. 923 *égone te ioculó modo ausim dícto aut facto fállere?* 924 *égone abs te ausim nón cavere, né quid committam tibi?*

---

*Rud. 576

tégillum eccillúd mihi unum | áret, id si vis dabo P.

In A nullus hiatus et sententia melior

tegillum eccillum, mihi unum id aret, id si vis dabo A.

Stich. 363

túm tu igitur, qua caúsa missus és ad portum, | expedi P.

In A vero legimus: *es ad portum, id expedi.* Plautum autem scripsisse opinor: *id mi expedi.* Cf. Becker, Studem. Stud. I 115 sqq. ubi versus congessit, in quibus *id* vel *hoc* cum verbo,

litteris vero *devita* in A incertis. Friderico Leoni duplex lectio latere videtur: *amoliri omnia* et *amoliri de via.* Alii autem (Ritschel, Goetz, Ussing) cogitaverunt de: *amoliri hinc omnia,* quae confirmata videntur versibus Merc. 384. Most. 371. 391. Pseud. 557. Truc. 630, quibus locis omnibus *amoliri* cum adverbio *hinc* coniunctum legitur. Hic adiunxerim:

Cas. prol. 55

filius autem armigerum | allegavit suum P,

filius is autem armigerum | adlegat suum A.

In utroque versu hiatur. Palatinorum lectio non potest in metrum cogi; editores consentiunt Plautum scripsisse

filius is autem armigerum allegavit suum.

Leo attulit ad hunc versum Cas. 767 *vilicus is autem cum corona . . . ambulat.*

ex quo pendet interrogatio obliqua, coniungitur, velut Bacch. 716 *quid nunc es facturus, id mihi dice* Pers. 215 sq. *hoc mi expedi, quo agis?* Poen. 1131 *novi . sed ubi sunt meae gnatae, id scire expeto.* Cf. etiam Cas. 1012 *spectatores, quod futurumst intus, id memorabimus.*

Stich. 431

amicam ego habeo Stephanium hinc ex proximo A,
amicam ego habeo Stephanium | hinc proximo P.

In P metrum graviter turbatum, *ex proximo* autem Plautinum esse docent Bach in Studem. Stud. II 196 et Pradel, Ann. phil. suppl. 26, 541 [1]).

Stich. 478

aliúm convivam quaérito tibi in húnc diem.

Sic A, in P quia deest *tibi*, oritur falsus diiambus

alium convivam quaerito | in hunc diem.

Quaerere sibi saepius redit velut Cist. 563 *tute tibi indigne dotem quaeras corpore.* Pseud. 23 *ut opinor, quaerunt litterae hae sibi liberos.* Rud. 874 *ut id quod quaerant inveniant sibi* ἀπὸ κοινοῦ.

Stich. 482

valeás ⁜ certum | est? ⁜ cértum . cenabó domi P,
valeas ⁜ certumnest? ⁜ certum . cenabo domi A.

Hic lectio hians vel ideo reicienda est, quod metrum graviter turbatur. Ceterum confer ea, quae dixi ad Merc. 461 pag. 10.

Stich. 703 sq. tales leguntur in P

nímium lepide in méntem venit . pótius [quam] in subséllio
cynice | accipimur quam in lectis ⁜ immo enim magis hic dulcius.

At in A alter versus talis est

cynice hic accipimur quam in lectis ⁜ immo enim nimio hic dulcius [2]).

Vocem *hic* autem aptissimam esse ad sensum indicat alterum *hic*, quod est in exitu versus.

[1]) Similiter Mil. glor. 1136 in P nullum metrum: *una excuntis video | hinc proximo.* A habet: *video hinc ex proximo. Ex proximo* secundum Pradelium apud Plautum invenitur: Asin. 53. Aul. 171. 290. 400. 403. Cas. 687. 1013. Men. 790. Mil. 472. 1136. Stich. 431.

[2]) *lecticis* AP, corr. Pius. Ergo hic locus ex eis est quibus demonstratur A et P ex eodem archetypo fluxisse, cf. § 8 Pers. 591.

Trin. 282.

neque in via neque in foro ullúm sermonem | éxsequi P.

Scabrities numerorum velut accentus *ullúm* tollitur in A, qui codex *necúllum* exhibet, ut iam Bergkius versum emendaverat codice A nondum reperto:

neque in via neque in foro necúllum sermonem éxsequi A.

Duplex autem negatio exstat etiam Capt. 76. 405. Epid. 110. Stich. 256. Trin. 134 etc.

Trin. 378

égo | indotatám te uxorem ut pátiar? ⁜ patiundúmst, pater P,
egone indotatam ⟨te⟩ uxorem ut patiar? ⁜ patiundumst, pater A.

Cf. ea, quae adnotavi ad Bacch. 489 pag. 8.

Truc. 136 Veram lectionem statim agnosces

nimis ótiosum | árbitror hominem ésse ⁜ qui[nam] arbitráre? P,
nimis otiosum te arbitror hominem esse ⁜ qui arbitrare? A.

Truc. 215

verum ápud hunc mea era súa consilia súmma eloquitur líbere A.

In P deest *sua,* itaque versum vix metiaris nisi hiatu et vitiosa mensura *erā* admissa: *mea | erā consilia.*

*Truc. 228

quémquem hominem attigerit profecto, | aút malum aut damnúm dare P,
quemquem hominem attigerit profecto, ei aut malum aut damnum dare A.

Vocem *ei* flagitari sententiae ratione constat.

β) Loci, quibus argumenta certa ad confirmandam lectionem non hiantem afferre non possum:

Most. 682

bonum aéquomque rogas . i percunctare ét roga A,
bonum aequomque oras . percontare | et roga P.

Prior pars versus rectius servata est in P, cf. Rud. 184 *bonum aéquomque oras.* Pseud. 389 et Stich. 728 *óptumum atque aequissimum oras.*

Pers. 600

súo arbitratu ⁜ quíd stas? adi tute átque | ipse itidém roga P,
súo arbitratu ⁜ quid stas? adi sis túte atque ipse itidém roga A.

Caput II.

§ 4. Pro forma non hiante in P irrepsit hians.

Venio ad eos versus, in quibus hiatum in recensionem Palatinam invectum esse ostendam, quod pro forma non hiante, quae fuit in Ω et servata est in A, in archetypum Palatinorum irrepsit hians.

α) Atque veriorem esse formam non hiantem certis argumentis demonstrari potest his locis:

Bacch. 535

cérte is est ⁜ is ést ⁜ adibo cóntra | et tollám gradum P.

Locutio *tollere gradum* nusquam apud Plautum redit. Notum est *contollere gradum* ex v. Aul. 814 *contollam gradum.* Itaque recte exhibet A:

cérte is est ⁜ is ést ⁜ adibo cóntra et contollam gradum A.

Cf. ad Stich. 293 pag. 24.

Cas. 114 Chalinus ait

ex stérculino effósse, tua illaec praéda sit.

Sic A. In P sensus est corruptus

ex sterculino effosse, tua illaec praeda | est.

Cas. 590

misérrimum hodie | húnc ego habeo amásium P.

misérrimum hodie ego húnc habebo amásium A.

Futurum commendatur versu praecedente: *iam pol ego huic aliquem in pectus iniciam metum.* Praeterea si quis minatur, Plautus *hodie* cum futuro tempore coniungit, velut Amph. 264 *neque ego hunc hominem hodie in aedis has sinam unquam accedere* 348. 357. 398. 426. 454. 583. 589. 1030. 1043. et multis aliis locis.

---

*Epid. 621

hic est danista, haec illast autem, quam égo emi de praeda ⁜ háecinest.

Sic A, in P numeri faciliores sunt, quia deest *ego.* Pro *de* in P legitur *ex,* itaque hiatur:

quam émi ex praeda | ⁜ haécinest.

De eo versu uberius egit Abraham Stud. Plaut. p. 201. Ibi compluribus locis congestis docuit Plautum cum ablativo *praeda* praeter has duas praepositiones *de* et *cum* nullam coniunxisse. Sane Leo in v. Epid. 608, quem corruptum esse constat, coniecit:

empta ex praeda, quae cum nullo loco Plautino confirmentur, probari non possunt.

Men. 258 sic legitur in Palatinis

natio Epidamnia nam ita est hec hominum,

quae vulgo mutata sunt in

nam ita ést haec hominum nátio | Epidamnia.

Quae falsa esse patet, nam post pronomen demonstrativum *haec* non est opus adiectivo *Epidamnia.* In A autem habemus:

nam ita est haec hominum natio: in Epidamnieis voluptarii atque potatores maxumei.

Merc. 259

inscéndo in lembum | átque ad navem dévehor A.

In P duo sunt hiatus pro uno, quia in exitu est *ad navem* | *advehor.* Melius ad rationem sententiae videtur esse *devehor.* Facile vero corruptela nasci potuit propter *ad navem* et quia exstat in v. 257 *advectus* et in v. 261 *advexit,* quae verba illic recte sunt posita.

Most. 676 sq.

ecce aútem perii. núnc, quid dicam, néscio.
iterúm iam ad unum sáxum me fluctús ferunt.

Sic A, in P prior versus tali est specie

ecce aútem | iterum núnc quid dicam nescio

ubi voce *iterum* sensum fieri deteriorem patet. F. Schoellius in appendice editonis maioris ad hunc versum ait *iterum* ex versu posteriore (677) petitum esse.

Most. 1053

pérgunt turbare úsque, ut ne quid póssit co(nquiescere) A.

Haec lectio vera turbatur in P voce *sit* pro *possit* invecta:

pérgunt turbare úsque | ut ne quíd sit conquiéscere.

Poen. 494

colaphis quidem hercle túum iam | elidám caput P,
colaphis quidem hercle tuum iam dilidam caput A.

A praebet *eilidam,* quod recte in *dilidam* mutaverunt viri docti, nam ad sensum melius esse *dilidere* entzweischlagen quam *elidere* herausschlagen (cf. Mil. glor. 167 talos elidi iussit Rud. 659 iube oculos elidere) patet.

Poen. 582 sic legitur in A lacunis secundum Studem. expletis
prŏbus homost ⫩ adeámus propius . ádsunt testes ⫩ tot quidem.

In P exstat *adeam*, cui formae ut *adeamus* praeferatur, commendatur sensu:

próbus homo | est ⫩ ádeam prop[r]ius . ádsunt testes ⫩ tot quidem.

Cf. autem (si necesse est talia testimoniis confirmari) Pseud. 749 *probus homost, ut praedicare et audio ⫩ immo si scias.* Bacch. 557 *nequam homost, verum hercle amicus est tibi ⫩ tanto magis.* Capt. 461 *miser homost, qui ipsus sibi, quod edit, quaerit et id aegre invenit.* Capt. 812 *satur homost, habet profecto in ventre confidentiam.* Most. 354 *ecquis homost, qui facere argenti cupiat aliquantum lucri.*

Poen. 1162 in P cum hiatu *illi* pro *illis*

quid si éamus illi | óbviam? ⫩ at ne intérvias.

In A: *illis obviam* id est: filiabus, cf. v. 1160.

Poen. 1369

malúm postremo | ómne ad lenoném redit P

malum postr⟨em⟩o omne ad lenonem reccidit A.

Studemundus in Nov. ann. 1866 p. 63 adn. ad probandam Ambrosiani lectionem attulit Men. 520 *omnes in te istaec recident contumeliae.*

Poen. 1381

qui hasce émi ⫩ et tute ipse peri⟨i⟩sti, Lyce A,

qui hasce emi ⫩ et tu | ipse peri⟨i⟩sti, Lyce P.

Cfr. Capt. 581 *quia tute ipse eges in patria nec tibi qui vivas domist.* Curc. 254 *tute ipse siquid somniasti ad me refers.* Pseud. 1142 *quid iam? ⫩ quia tute ipsus coram praesens praesentem vides.*

Pseud. 33 Calidorus Pseudolum alloquitur his verbis:

immo égo tacebo, tú | hinc ex cerá cita P,

immo ego tacebo, tu istinc ex cera cita A.

Cum Pseudolus iamdudum ceram, ex qua citare iubetur, manibus teneat, pronomen *hinc* ferri non potest.

Pseud. 133

exíte, agite éxite ignaví male | habiti et mále conciliati.

Sic A cum uno hiatu. In P duo hiatus: *exíte agite ite* | *ígnavi* etc. Versus Pseud. 133—137 ex anapaestis constant, metrum autem anapaesticum forma *ite* turbari patet. Cf. ad Stich. 293 pag. 24.

Pseud. 200

dévinxere ad taúrum . item ego te distringam ad carnárium A.

In Palatinis is versus deformatus est in hanc speciem:

devinxere ad taurum item hodie stringam | ad carnarium.

Voce *te* sententia carere non potest, itaque deterior est lectio Palatinorum.

Pseud. 306 sq. A praebet:

nón est iustus quisquam amator nisi qui perpetuát data,
det, det usque; quando nil sit, simul amare desinat.

Ea locutio eximia atque poeta nostro dignissima, in qua vox *det* bis posita tamquam explicat locutionem *perpetuat data,* in P turbatur:

détque | usque; quándo nil sit, simul amare désinat.

Pseud. 421 sq. tales sunt in P

atque id iam pridem sénsi | et subolét mihi
nam dissimulabam . . .

Versum priorem propter *subolet* medicina egere patet, veriorem praebet A lectionem:

atque id iam pridem sénsi et subolebát mihi.

Cf. Trin. 615 *propemodum quid illic festinet, sentio et subolet mihi.*

Pseud. 685. In eo versu Palatini exhibent *venit* cum hiatu, at sensus flagitat *evenit,* quod verbum praebet palimpsestus:

cérta mittimús, dum incerta pétimus . atque | hoc venit
in labore atque in dolore, ut mors obrepat interim.

Rud. 219

neque quicquam | unquam his prófuit, qui mé sibi eduxérunt P.

Falsum esse *his profuit qui* neminem fugit (C exhibet *iis,* D *us*). A praebet: *neque quicquam unquam illis profuit etc.,* etsi litteris *illis* Studemundo teste incertissimis.

Rud. 561 sq. tales exstant in A, quem codicem secutus est Leo:

néscio quem metuéntes miserae nócte hac aiunt próxuma
se iactatas atque eiectas hodie esse aiunt e mari.

Hic in duplici *aiunt* quispiam offenderit[1]), tamen ea lectio melior est quam Palatinorum, altera enim pars prioris versus talis est: *nocte* | *hac nunc proxima* B, *nocte* | *hac non proxuma* CD.

Stich. 392

praécucurri, ut núntiarum núntium exoptabilem.

Sic A cum Prisciano I 533. Palatini praebent cum gravi metri detrimento:

praecucurri, ut nuntiarem nuntium | obtabilem.

Vox *exoptabilis* praeterea ad sensum aptior est.

Trin. 62

ne tu hércle faxo, haud néscias, quam rem égeris A,
ne tu hercle faxo, | haud scias, quam rem egeris P.

Lectionum Palatinorum falsam esse iam cognovit Hermannus, qui scripserat: *faxo nunc scias.*

Truc. 220

nos dívitem | eum méminimus atque iste pauperés nos P.

In A nullus hiatus, quod legitur

nos divitem istum meminimus atque iste pauperes nos A.

Lectionem A codicis veriorem esse indicat repetitum *iste* atque v. 218 (idem homo atque in v. 220 dicitur) *iste id habet quod nos habuimus . humanum facinus factumst; iste* A, *istinc* P.

β) Afferuntur nunc ei loci, quibus lectionem non hiantem veriorem esse argumentis propriis confirmari vix potest.

Mil. glor. 210

ápage . non placét profecto mihi illaec aedificátio.

Sic A, cum Palatini perperam in exitu versus exhibeant: *mihi illam aedificatio,* quae haud scio an scripta sint pro *mihi illa* | *aedificatio.* Hic commonuerim in codicibus promiscue formas *illum* : *illunc, illam* : *illanc, illo* : *illoc* etc. adhiberi. Vide

[1]) In ea lectione non offendit Sonnenschein, qui ait ad Rud. versum (Rudens p. 123): The repeated aiunt seems to be a vulgarism like our „says he".

Skutsch, Forsch. I 104 adn. 5 et 141 adn. 1. Id dico ad adiuvandos eos, qui formis *illunc illanc illoc istunc* etc. substitutis hiatui mederi student. Vide etiam Poen. 1061 in hac paragrapho, Stich. 450 et Trin. 520 in § 12 allatos.

Most. 760

nam sibi laudavisse áit has architéctonem A.

Sic A lacunis secundum Studemundum expletis, at B et codex Turnebi praebent:

nam sibi laudasse | hásce ait architéctonem.

In codicibus Plautinis formas pleniores velut *amavisse* non rarius quam formas contractas velut *amasse* occurrere docet Engelbrecht Wien. Stud. VI p. 235 sqq., vide etiam Brock, Quaest. gramm. cap. duo Iurievi 1897 p. 75 et 119. Memorabile autem exemplum habes etiam in v. Poen. 416, qui propter *evocasti* in P non potest in metrum cogi, at in A, ubi traditur *evocavisti*, recte fluit: *dedi dudum priusquam me evocavisti foras.* Cf. § 15 de Most. 976.

Pers. 696

eam ego út requiram | atque | ut redimám volo P.

In A videtur fuisse, cum uno hiatu

eam ego út requiram | átque uti redimám volo A.

---

*Poen. 430

i módo ǂ non hercle mérear ǂ oh ǂ vah ǂ ábi modo A.

Leo defendit lectionem Palatinorum

i módo ǂ non hercle méream ǂ oh ǂ vah | ǂ ábi modo P

prolatis vss. Bacch. 1184. Men. 217. Stich. 24, contra quos, ut ait, non satis efficiat Most. 987. Tamen cum ibi *merear* et in A et in P legatur, dubito, quam vere Leo id in *meream* mutaverit. Cfr. Seyffert, Berl. phil. Woch. 1897 p. 714.

Poen. 1061

sed mitto de illo . | ád te redeo . dic mihi P,
sed mitto de illoc . ad te redeo . dic mihi A.

Cfr. quae modo dixi ad Mil. glor. 210.

Pseud. 871

fecisse rursum | éx sene adulescéntulum P,
fecisse rursus ex sene adulescentulum A.

Cf. Pers. 71 *tantidem ille illi rursus iniciat manum* P (in A is versus non servatur). Sed in v. Amph. 797 vocalium concursus: *huic dedisti . post hanc rursum | obsignasti clanculum.*

Stich. 293

ád me adiri et súpplicari egomét mihi aequom censeo.

Sic A *adire* in *adiri* correcto. Palatini praebent *ad me | iri et supplicari.* Cf. Bacch. 535 ubi ex *contra et contollam* factum est *contra et tollam,* Pseud. 133 ubi *exite agite exite* immutatum est in *exite agite ite;* quae exempla docent ex verbo composito facile simplex in libris fieri potuisse, si praepositio, quae cum verbo composita erat, alio loco versus iam exstabat. Cf. etiam Epid. 615 *adornas ad fugam* P recte, *adornas fugam* A falso.

Trin. 486

id óptumum esse, túte | ut sis óptumus P,
id óptumum esse, túte uti sis óptumus A.

Cf. Pers. 696 pag. 23.

*Truc. 369 sed dic mihi
benene ámbulatumst? ‡ húc quidem hercle ad té bene.

Sic A, cum in P legamus

benene ámbulasti | ? ‡ húc quidem hercle ad té bene.

Geppert Stud. II 53 confert Stich. 586

váluistin bene? ‡ sústentatumst sédulo ‡ edepol gaúdeo A,
valuistin bene? ‡ sustentavi sedulo ‡ edepol gaudeo P.

Truc. 374 legitur:

in A: plus póllicere quam ábs te posco aut póstulo,
in P: plus póllicere quám ego | a te póstulo.

Abraham Stud. Plaut. p. 186 sqq. reiecit scripturam Ambrosiani, quod locutio *posco aut postulo* nullo alio loco Plautino redeat. Leo scripsit:

⟨sempér⟩ plus pollicére quam ego abs te póstulo[1].

[1] At bene nuperrime lectionem A defendit Sjögren, Zum Gebrauch des Futurums im Altlateinischen (Uppsalae 1906) p. 231 sq.

Caput III.

§ 5. Hiatus irrepsit, quia collocatio verborum in P est immutata.

α) Loci, quos falsam in P collocationem exhibere apertum est, sunt hi:

Cas. prol. 51

patérque filiúsque clam alter álterum.

Sic recte A, cum alterum *que* in P in exitum versus migraverit

paterque filius clam | alter alterumque.

Quod vitium inde derivaverim, quod alterum *que* in archetypo Palatinorum sive in margine sive supra lineam ascriptum erat.

Cas. 594

at ego hércle | at te . quid ais, vir minimi preti?

Sic P, cum in A exstet:

et hércle ego ad te . quid ais, vir minimi preti?

Ordinem *hercle ego* usitatiorem esse docuit Kellerhoff in Studem. Stud. II p.60.

Most. 992

mihi, nisi ut erum métuam et curem, níhil est, qui tergúm tegam.

Sic A, in P legimus

mihi nisi | erum ut métuam etc.
aut: mihi nisi érum | ut metuam . . .

Ad tuendam lectionem Ambrosiani dixerim voculam *ut* in A usitatiorem collocationem habere, quamquam concedo etiam lectionem: *mihi nisi erum ut⟨i⟩ metuam . . .* Plauto tribui posse. Skutschius quidem censet Plautum scripsisse *mihi nisi ut erum et metuam et curem . . .*

Poen. 1226

nunc pátrue, tu frugi bonae's. vin hánc ego adpre[he]ndam?
⟨‡⟩ tene A,

In P versum damnum traxisse apparet:

nunc tene patrue, tu frugi si bonae's. vin ego | hanc ad praedam?
⟨‡⟩ tene P.

Collocatio autem *hanc ego* (*hunc ego)* saepius redit, cf. e. gr. Cas. 224 *hanc ego de me coniecturam domi facio.* Men. 1077 *hunc ego esse aio.* Pers. 455 *hanc ego rem exorsus sum facete et callide.* Käempf, De pron. pers. usu et coll. p. 22.

Pseud. 739

ecquid habet is hómo | aceti in péctore ‡ atque acidissimumst.

Haec est species versus in P. Ambrosianus praebet:

ecquidem homo habet aceti in pectore etc.

ubi ut sensus fiat, *equidem* in *ecquid is* mutandum est. Ordinem autem verborum

écquid is homo habét aceti . . .

veriorem esse iam cognovit Lorenzius, quem secuti sunt Goetzius et Leo. Lorenzius contulit cum versu nostro Pseud. 748

écquid is homo scitust. ‡ plebi scitum non est scítius.

Rud. 730 sic est traditus in P:

ita | hinc ego te ornátum [te] amittam, tu ípsus te ut non nóveris.

In A secundum Studemundi lectionem prior pars versus talis est, qualem recepit in contextum Leo (cum Guyeto, Reizio, Bentleio):

íta ego te hinc ornátum amittam . . .

Quae lectio commendatur vss. Amph. 531 *non ego te hic lubens relinquo neque abeo abs te* . . . Men. 332 *ut te hinc abducat potius.* Truc. 613 *iam hercle ego te hic hac offatim offigam* ib. 614 *iam ego* ⟨*te*⟩ *hic agnum faciam* . . .

β) Collocationem verborum in P falsam esse demonstrare non possum his locis:

*Most. 932

dicam ut hic res sint quietae | átque ut hunc hinc amóverim P,
dicam ut hinc res sint quaesitae atque hunc ut hinc amoverim A.

---

*Most. 949

púer, hic nemo habitát, nam te esse | árbitror puerúm probum P,
puere, nemo hic habitat, nam te esse arbitror puerum probum A.

Hic monendum est in A exstare *puere,* quae forma eis locis apud Plautum posita est, ubi metro postulatur: Asin. 382. Curc. 75. Merc. 912. Most. 843. 947. 965. 990. 991. Pers. 792. Pseud. 170. 242b. 249.

Poen. 912

váleas beneque ut tibi sit ‡ pol istuc tibi et tuost ero ín manu.

Sic A. In P habemus hiatum, quia copula *est* alio loco exstat: *tíbi et tuó | erost in manu* aut *tibi | et túo erost ín manu.* Ct. Pseud. 1052 *in tuto loco est* A, *in tuto est loco* P. Stich. 707 *cantio Graecast* A, *cantio est Graeca* P. In v. Epid. 131 sq. ἀμέτρως traditur: *imperatumst: emptast ancilla, quod tute ad me litteras || missiculabas.* Camerarius emendavit: *ímperatumst: émpta ancillast, quod* etc.

Trin. 18 sq.

huic nómen Graece | ést Thensauro fábulae
Philemo scripsit, Plautus vertit barbare.

Sic P, in A nullus hiatus:

huic Graece nomen est Thensauro fabulae . . .

B. Pars Altera.

Hiatus in A, nullus hiatus in P.

Caput IV. Hiatus in A irrepsit vocabulis in archetypo A codicis omissis.

§ 6. Vocabula per haplographiam in archetypo exciderunt.

α) Lectionem non hiantem genuinam esse aut patet aut argumentis propriis confirmari potest his locis:

Cas. prol. 66

pontem interrupit, qui erat ei | itinere A,
pontem interrupit, qui erat ei in itinere P.

Facile *in* eo loco excidere potuisse patet. Cf. Stich. 283, ubi scripturam hiantem nemo defendet: *quae mísera | exspectátione est Épignomi adventúm viri* P, *misera in exspectatione* . . . A. In nostro autem versu veriorem esse lectionem Palatinam indicant Ter. Heaut. 271 *hoc ipsa in itinere alterae || dum narrat, forte audivi.* Phor. 566 *dicam in itinere.*

Cas. 763 sqq. dicuntur a Pardalisca:

omnés festinant íntus totis aédibus,
senex in culina clamat, hortatur coquos:
„quin agitis hodie? quin datis, si quid datis?
properate, cenam iam esse coctam oportuit."

Hic sententiarum rationi aptiora sunt quae Palatini tradunt quam quae A exhibet

properate, cenam | esse coctam oportuit.

Cf. Men. 195 *nam si amabas, iam oportebat nasum abreptum mordicus.* Most. 1093 *quid si igitur ego accersam homines?* ‡ *factum iam esse portuit.*

Epid. 153—155 sic leguntur in P

est Eubóicus miles, lócuples, multo auró potens,
qui úbi tibi istam emptam ésse scibit átque hanc adductam álteram,
continuo te orabit ultro, ut illam tramittas sibi.

In v. 154 A omisit *tibi*, qua voce omissa sensum turbari apparet: *quí ubi | ístam emptam esse* etc. aut *quí ubi istam émptam | ésse* etc. In *ubitibi* facile *tibi* excidere potuisse patet.

Merc. 457

néscio, inquam, vélit ille illam nécne abalienárier P,
néscio, | inquám, velit illam necne abalienárier A.

Cf. Merc. 449 *non ego illam mancupio accepi* ‡ *sed ille illam accipiet sine.* Trin. 605 *sine dote* ‡ *sine dote ille illam in tantas divitias dabit. Illa illum* occurrit in vss. Amph. pr. 134. Aul. pr. 30. *Ille illi:* Pers. 71 etc. etc. vide Kellerhoffium l. c. p. 58 sq.

Mil. glor. 23 talem habet speciem in A:

me sibi | habeto, | égo me mancipió dabo

ubi dativus *ei* ad sensum necessarius desideratur. Palatini exhibent, *habeto et ego*, quemadmodum pro *ei* in codicibus saepius *et* scriptum est, velut Pers. 180 *ei* P, *et* A. Quivis videt, quam facile in litteris ETOEIEGO sive adeo ETOETEGO quarta et quinta excidere potuerint. Goetz-Schoell legunt sine ullo hiatu: *me síbi habeto ei egó me mancipió dabo*, ubi sane mensura pronominis *ei* dubitationi non exempta est.

Mil. glor. 401

atque út tu suspicátus eam vidísse | osculántem A,
atque ut tu suspicatus es eam vidisse osculantem P.

Lectionem hiantem non esse genuinam vel inde patet, quod numeri sunt turbati. Arsis enim soluta ante dihaeresim versuum iambicorum septenariorum apud Plautum non admittitur.

Mil. glor. 1135

nam quós videre | exoptabam máxime A,
nam quós videre exóptabam me máxume P.

Lectionem Palatinorum vetustam esse vel inde elucet, quod *me* et encliticum est et encliticorum more postpositum est, id quod interpolator vix fecisset, nisi fortasse altera lectio *me exoptabam* (*me* in archetypo Ω superscripto) defendenda est. Verbum autem exoptandi cum infinitivo coniungitur his locis Ter. Andr. prol. 20. Cic. ep. 4, 6, 3. Pers. 2, 44. Calp. eclog. 3, 35; cum acc. c. inf. Enn. ann. 551.

Mil. glor. 1411

iúra te non nóciturum esse | hómini de hac re némini P.

Sic P cum hiatu in dihaeresi. In A duo hiatus, quia deest *non,* quod ante *nociturum* haplographia excidere potuit:

iúra te nocitúrum | esse | hómini de hac re némini A.

Praestantior est versus Palatinorum, in quo id, quod gravissimum est, *non nocere* in initio positum est; male in A negatio, in qua summa iurisiurandi est, in fine demum infertur. Aliter res se habet in v. 1414, ubi in inreiurando Pyrgopolinicis verbum *nociturum* statim sequitur vox *nemini:*

iúro per Iovem ét Mavortem mé nociturum némini.

Most. 607 sq. legimus in P

neque ego taétriorem béluam
vidísse me unquam quémquam quam te cénseo;

A exhibet altero *quam* per haplographiam omisso:

vidísse me | unquám quem quam te cénseo,

quae lectio repugnat usui Plautino in coniungendis vocabulis *(n)unquam quisquam* observato, cuius exempla collegit Lange, Ann. phil. 1894 p. 275 sqq. velut Capt. 76. Pseud. 1018. Cf. Epid. 404 sq. *nun⟨quam⟩ nimis potest* || *pudicitiam quisquam suae servare filiae*, ubi *nunquam* restituit Fleckeisenus. Vide etiam Naev. (com. 96 R) *si⟨ve⟩ unquam quicquam filium rescivero*[1]).

Poen. 449—451 tales exstant in P

di | ínfelicent ómnes, qui post húnc diem
leno ullam Veneri unquam immolarit hostiam
quive ullum turis granum sacruficaverit.

Versus 451 sic est servatus in A

qui | ullum turis granum sacruficaverit.

Meliorem autem conexum praebere *quive ullum* nemo non concedet. Facile autem QVIVLL ex QVIVEVLL nasci potuit. Vide etiam, quae modo adnotavi ad v. Most. 608 de Naevii v. 96.

[1]) Ita Skutschius correxit apud Gellium II 19, 6 pro: *si | unquam quicquam . . .*

Poen. 964. Lectio non hians meliorem praebet sensum
eas liberali | ádseres causá manu A,
eas liberali *iam* adsere⟨s⟩ causa manu P.

Poen. 1116
sed i atque évoca illam, si eae meae sunt filiae P.

In A deest vox *meae*, quam flagitat sensus, itaque hiatus est in *sí* | *eae*.

Stich. 84
sic faciam: adsimulábo, quasi quom cúlpam in se | admiserint A.

Hiatus, qui est in exitu versus, sanatur scriptura Palatinorum: *in sese admiserint*. Hic scripturam Ambrosiani ideo nemo defendet, quod sescentis locis apud Plautum *sese* ante vocalem positum est. Vide Ritschl, Neue Plaut. Exc. p. 53 et C. F. W. Mueller, Nachträge zur plaut. Pros. p. 114.

---

*Stich. 519 sq.
páx commersque est vóbis mecum . | hóc tu facito ut cógites:
ut cuique homini res paratast, perinde amicis utitur.

Sic A, sed Palatini exhibent
páx commercique est vóbis mecum . *nam* hóc tu facito cógites . .

Hic *nam,* quae vox sensum meliorem reddit, facile post *mecum* potuit excidere.

---

*Trin. 385
séd adde ad istam grátiam unum ⸸ quid id est autem unum?
⸸ éloquar P.

In A non solum versus hiat ubi sermo transit ad alteram personam, sed etiam sententia: *quid est autem unum* | ? ⸸ *eloquar*. Cf. Stich. 427 *quid id autem unumst? expedi.*

Trin. 1072 in A abundat hiatibus
cérte is est profécto | o mi | ére | exoptatíssime,
quam lectionem veram esse vix quisquam credet. Nullus hiatus in P:
cérte is est, is ést profecto, o mi ere exoptatissime.

In eo versu geminatio vocabulorum *is est* aptissima est ad sensum, redit autem apud Plautum in v. Bacch. 535
cérte is est . is est . adibo cóntra et contollám gradum.

Cf. Stich. 608 *nón it, non it, quía tanto opere suádes, ne ebitát ⸸ iube.*

β) Lectionem non hiantem genuinam esse etsi nemo negabit, tamen non facile est argumentis confirmare his locis.

Epid. 26
quem dices digniórem | esse | hódie Athenis álterum A,
quem dices digniorem esse hominem | hodie Athenis alterum P.

Skutschius censet scribendum esse (similiter nuper Goetzius):
quem dices digniorem esse ⟨hoc⟩ homine[m] hodie Athenis alterum.

Vocem *hominem* ante *hodie* facile excidere potuisse patet, cf. Epid. 671 ubi *homohodie* habet A sine hiatu, *hodie* P cum hiatu. Ad probandam autem Skutschii coniecturam attulerim Asin. 118 *non esse servus peior hoc quisquam potest.* 492 *neque me alter est Athenis hodie quisquam, quoi . . .* Aul. 206 *neque illo quisquamst alter hodie ex paupertate parcior.* Most. 1072 *alter hoc Athenis nemo doctior dici potest.* Pers. 202 *nullus esse hodie hoc puero peior perhibetur.* Cf. etiam Aul. 419. 810. Poen. 991.

Pseud. 1333
hércle me isti haú solent vocáre neque ego ergo istos.

Sic versum ex P constituit Hermannus collocatione *ergo ego* correcta. In A legimus
hércle me isti haú solent vocáre nec ego | istos.

Hand Turs. II 467, qui ibi similes locos attulit, exitum versus sic vertit: *und daher auch ich nicht sie.*

Rud. 581
tibi ego nunquam quicquam credam nisi | accepto pignore A.

Hiatum tollunt omnes Palatini praeter D:
tibi ego nunquam quicquam credam nisi si accepto pignore P.

Locos, quibus *nisi si* apud Plautum exstat, ego quidem decem repperi (Brockius Quaest. gramm. Iurievi 1897 p. 177 sq. septem attulit), omnibus autem locis novum praedicatum post *nisi si* exstat, velut Amph. 825 *nescio quid istuc negoti dicam nisi si quispiamst* || *Amphitruo alius etc.* Reliqui versus sunt Capt. 530. Curc. 51 sq. Epid. 22. Men. 248. Most. 769. Trin. 474. Truc. 670. 782. 927. Praeterea Rud. 751 *nisi si* B *nisi* (quod hoc loco melius est) CD. Versum nostrum Brockius quod legit *nīsi accepto pignore* id falsum esse apparet, quod prior syllaba *ni* ex *nĕ* nata est[1]). Ceterum apud Graecos similiter particularum coniunctio ὡς ὅτε sensum simplicis particulae ὡς accepit.

---

[1]) De origine coniunctionis *nisi si* dubia quaedam scripsit Lindskog, De enuntiatis apud Plautum et Terentium condicionalibus, Lundae 1895.

§ 7. Exciderunt vocabula, quia superscripta erant in archetypo communi.

Epid. 251

quin hodie allataé tabellae | ád eam | a Strathippocle A,
quin hodie allatae sunt tabellae ad eam a Stratippocle P.

In A duo sunt hiatus, in P versus non currit, voce *sunt* autem, quam omisit A, hanc sententiam carere non posse docet usus Plautinus. Goetzius et Leo scripserunt Guietum secuti:

quin hodie allataé tabellae súnt ad eam a Stratippocle,

quam scripturam ita fuisse in archetypo Ω verisimile est, ut *sunt* aut in margine aut supra lineam fuerit.

Mil. glor. 701

di tibi propiti⟨i⟩ nam | hercle si istam semel amiseris A,
di tibi propitii sunt hercle nam si istam semel amiseris P.

Iterum in A versus hiat, in P non currit; vocem *sunt* necessariam esse docent exempla haec: Ter. Phor. 636 *satin illi di sunt propitii?* ‡ *nam sat scio* (quem versum afferunt Brix et Lorenz). Curc. 531 *quoi⟨i⟩ homini di sunt propitii, lucrum ei profecto obiciunt,* 557 *quoi homini di sunt propitii, ei non esse iratos puto.* Hic quoque probabile mihi videtur vocem *nam* in archetypo Ω suprascriptam fuisse, in altera autem recensione vocem *sunt* expulisse, in altera falso loco in textum irrepsisse. Plautum enim scripsisse credo:

di tibi propitii sunt . nam hercle si istam semel amiseris.

Most. 609. Is versus legitur

in B non édepol nunc me tú tuis verbis térritas
in CD non edepol nunc me tu istis verbis territas
in A non edepol tunc me | istis verbis territas.

B codicem in Mostellariae memoria non tanta quanta in reliquis fabulis esse auctoritate constat, CD, si cum A communem lectionem habent, maioris pretii videntur esse quam B. Itaque lectio genuina videtur fuisse: *nunc me tu istis.* Ambrosiani autem scripturam propter *tunc*, quae vox quid sibi hoc loco velit, non intellegimus, genuinam non esse patet. Atque Skutschius quidem coniecit voculam *tu* in Ω supra lineam scriptam fuisse hac fere ratione

tu
non edepol nunc me istis verbis territas

ex quo in archetypo Palatinorum factum esset ordine verborum non recte intellecto *nunc me tu istis,* pro *tu nunc me istis* alterum librarium vero *tu* tamquam correcturam ad *nu(nc)* ascriptam esse censuisse.

§ 8. Qua via vocabula exciderint, investigari non potest.

α) Lectionem hiantem falsam esse apparet locis his:

Cas. 106—110

ego húc quod veni in úrbem, si impetrávero,
uxorem ut istam ducam, quam tu deperis,
bellam et tenellam Casinam, conservam tuam,
quando ego eam mecum rus uxorem abduxero,
rure incubabo usque in praefectura mea.

Unus ex eis versibus (109) in A cum hiatu traditus est:

quan lo | eam mecum rus uxorem abduxero . .

Sed ad lectionem Palatinorum probandam dicendum est *ego* in eo versu recto loco positum esse, cf. Scherer Studem. Stud. II p. 105. Ibi afferuntur Amph. 440 *nunc quando ego sum, vapulabis, ni hinc abis, ignobilis.* Men. 120 sq. *quando ego tibi ancillas penum . . . praebeo.* Cf. etiam Amph. 893 *quando ego quod feci, factum id Amphitruoni offuit.* Capt. 691 *quando ego te exemplis pessumis [ex]cruciavero.*

Cas. 579

iamne hánc traduxti | ád nos vicinám tuam .

Sic A, ut testatur Studemundus. In Palatinis legimus

iamne hánc traduxti huc ád nos vicinám tuam,

quam lectionem confirmari merito putat Leo (ad hunc versum) versu Cas. 597

ut traduxisti huc ad nos uxorem tuam AP.

Cas. 1008 abundat in A hiatibus, in P nullus hiatus:

lépidiorem némo uxorem quám ego | habeo | hánc habet A,
lépidiorem uxórem nemo quísquam quam ego habeo hanc habet P.

In *quisquam quam* vocabulis transcribendis saepius peccatum esse demonstravimus ad Most. 607 pag. 29. Locutio autem *nemo quisquam* redit: Pers. 648 *nemo quisquam acceptior.* Pseud. 808 sq. *me nemo potest* || *minoris quisquam nummo ut surgam subigere.* Cf. praeterea Ter. Eun. 1032. Hec. 67 (cf. Lange, Ann. phil. 1894 p. 277).

Epid. 485

reór peccatum lárgiter ‡ immo haéc east P.

In A metrum graviter corruptum: *immo* | *haec est*, de quo non est, cur verbum addam.

Men. 207

scin, quid volo te | áccurare? ǂ scio, curabo, quaé voles A,
scin, quid volo e g o te accurare? ǂ scio, curabo, quae voles P.

Vocem *ego* recto loco in P positam esse docet usus Plautinus; cf. Mahler, De pronom. pers. apud Plaut. collocatione, Cussalini 1876 p. 2 et Kellerhoff l. c. p. 51. *Volo ego* autem persaepe apud Plautum usurpatur velut Pers. 604 *hospes, volo ego hanc percontari* . . Rud. 120 sq. *paucis percontari | volo ego ex te.* Cf. etiam Most. 174 *donabo ego hodie* 176 *nolo ego te adsentari mihi* 194 *nolo ego mihi male te Scapha praecipere* 196 *moneo ego te : te ille deseret.* Pers. 616 *scio ego officium meum, ut quae rogiter* . .

Most. 767

sol sémper hic est úsque a mane ad vésperum P.

In A deest verbum *est,* quod hoc loco habet notionem verbi *adest,* et pro *hic* falso legitur *huc:*

sol sémper huc usque á mane | ad vésperum.

Most. 905

núm nimio emptae tíbi videntur? ǂ núnquam | edepol mé scio A.

Sic A lacunis secundum Studemundum suppletis. At in P legimus:

núm nimio emptae tíbi videntur? ǂ núnquam edepol ego mé scio P.

Veram esse collocationem voculae *ego,* genuinum ergo vocabulum in P discimus a Kellerhoffio l. c. p. 60 sqq.

Pers. 349

enimvéro odiosa es ǂ nón sum neque m e esse árbitror P.

In A excidit *me,* quae vox in accusativi cum infinitivo structuris raro apud Plautum omittitur:

enimvero odiosa es ǂ non sum neque | esse arbitror.

Pers. 591

táce, tace, nimis tú quidem | homo stúltus es pueríliter A.

Hiatus sanatur in P interiectione *hercle*, de cuius usu cf. Kellerhoff l. c. p. 64 sq.

tace, tace, nimis tu quidem h e r c l e homo stultus es pueriliter P.

est AP, cf. pag. 16 adn. 2.

Poen. 340

éo conveniunt mércatores, íbi me | ostendí volo A
eo conveniunt mercatores, ibi e g o me ostendi volo P.

Vocabulum *ego,* quod deest in A, genuinum videtur esse, quia recte est collocatum, id quod discimus apud Mahlerum l. c. p. 2 et Kellerhoffium l. c. p. 51 sqq.

---

*Poen. 345

súnt mihi nescio quod nummi | [l]aúrei, lymphatici A,
súnt mihi i n t u s néscio quot nummi aúrei, lymphatici P.

Lectio Palatinorum videtur confirmari versu 165 sq. *súnt tibi intus aúrei || trecénti nummi Phílippi?* ǂ *sescenti quoque.*

Poen. 500

omnis extollo | hóc die in aliúm diem A.

Palatini cum Nonio 407 praebent veriorem lectionem:

omnis extollo e x hoc die in alium diem P.

Vide ea, quae dixi de omissione praepositionum ad Stich. 293 (§ 4).

Poen. 671—673 tales exstant in P

LY. rex súm, si ego illum | hódie ad me hominem [m]alléxero.
⟨ADV.⟩ quin hicquidem tuos est . LY . obsecro hercle hortamini,
ut devortatur ad me in hospitium optumum.

In A v. 671 talis est:

rex sum si ego illum | hodie | hominem adlexero.

Cf. e. gr. Amph. 264 *neque ego hu⟨n⟩c hominem hodie ad aedis has sinam umquam accedere.* Poen. 658 *ubi nequam faciat . nos hominem ad te adduximus.* Cist. 566 *iam perducebam illam ad me suadela mea.*

Poen. 1015

nunc órat, operam | út des, ut ea véneant A.

Sensus fit melior voce *sibi* inserta quam exhibent Palatini:

nunc órat, operam ut dés sibi, ut ea véneant P.

Cf. Bacch. 103 sq. *t i b i nunc operam dabo de Mnesilocho, soror, ut hic accipias potius aurum* . . . Truc. 722 *sed obsecro da mi operam, ut narrem, quae volo.*

Poen. 1053 sq. Agórastocles ad Hannonem conversus ait:

ergo hic apud me hospitium t i b i praebébitur.

Talis versus est in P, at A caret voce *tibi*, qua sensus carere non potest:

ergo hic apud me | hóspitium praebébitur.

Poen. 1219

pátrue mi, ita mé di amabúnt, út ego, si sim Júppiter P.

In A excidit *me*

patrue mi, ita di | amabunt, ut ego, si sim Júppiter A.

Hanc scripturam nemo defendet.

Poen. 1322 sq.

quid tibi lubido, | óbsecro, Antamoénides,
loqui inclementer nostro cognato et patri?

Sic A, Palatini praebent:

quid tibi lubido es⟨t⟩, óbsecro, Antamoénides.

Cf. locos, quos collegit Lorenz ad Most. 6 et 32, ubi semper *est* additur.

Poen. 1351 sq.

AG. duplúm pro furto mihi ópus est. LY. sume hinc quódlubet.
HA. et mihi suppliciis multis LY. sume hinc quodlubet.

Sic P; sensum autem turbari, si *mihi* in versu priore omittitur, in promptu est:

duplúm pro furto | ópus est ⧧ sume hinc quódlubet A.

Pseud. 716

quíd istuc est? ⧧ epistulam hanc intércepi | et sýmbolum A,
quíd istuc est? ⧧ epistulam modo hanc intercepi et sýmbolum P.

Vocula *modo*, quae etiam metrum sanat, redit in eiusdem Pseudoli sermone in v. 717 *qui a mílite allatúst modo,* et in v. 719 . . . *éi os subleví modo.*

Pseud. 730

qui á patre advenít Carysto, néedum | exit aédibus A,
qui a patre advenit Carysto, necdum exiit ex aedibus P.

Memoria codicis A discedit a consuetudine sermonis Plautini. Nam apud Plautum verbum exeundi uno loco excepto (Bacch. 289 *portu exire*) semper videtur coniunctum esse cum *ex* praepositione, velut Cist. 546 sq.

hinc éx hisce aedibus pauló prius | videi éxeuntem múlierem.

Most. 1 *exi e culina,* Rud. 534 *exissem ex aqua,* Rud. 706 *exi e fano,* et all. Vide praeterea de omissione praepositionum quae dixi ad Stich. 293 pag. 24.

Pseud. 1199 in A versus vitiosus vel potius nullus est

Harpax ⧧ is quidem | Harpax sum | ⧧ immo | edepol esse vis A.

In P ad sanandum versum medicina exstat

Hárpax ⧧ is quidem édepol Harpax égo sum ⧧ immo edepol ésse vis P.

Rud. 777

húnc quoque adserva ipsum, ne | abitat . aut promisimus A,
hunc quoque adserva ipsum, nequo abitat . nam promisimus P.

In A versus noster non est ex regula formatus, nam caret dihaeresi, et pro *nam* perperam *aut* exstat. Lectio Palatinorum confirmatur versibus Men. 851 sq. *ádserva istunc, mí pater || nέquo hinc [h]abeat.* Most. 596 *Ferre hinc potes . an métuis, nequo abeát foras.* Rud. 1013 *ábeo ego hinc ⧧ at ego hínc offlectam návem nequo [h]abeás : mane.* Dihaeresis autem est inter vocales coalescentes.

Stich. 75

principium ego quo pácto | illi | óccipiam, id ratiócinor A,
principium ego quo pacto cum illis occipiam, id ratiocinor P.

In A versum damnum contraxisse constat, nam nullus sensus fit.

Stich. 361

nón ecastor, út ego opinor, sátis erae morém geris P,
non ecastor, ego | opinor, satis erae morem geris A.

Lectionem Ambrosiani reiciendam esse sequitur ex lege, quam constituit Wackernagel, Indogerm. Forsch. I p. 406—430: voces quae accentu carent non primo, sed secundo loco enuntiati poni. Confirmatur quod observavimus eo, quod *ego opinor* nusquam apud Plautum, at saepenumero legimus *opinor, ut opinor, ut ego opinor*; locos congessit Langen Symb. p. 310 sq.

Stich. 548

núnc mihi reddi ego aéquom esse abs te, quicum cubitem, cénseo.

Sic P, voces *abs te* desunt in A:

núnc mihi reddi ego aéquom | esse, quicum cubitem, cénseo;

necessarias autem esse elucet e versu praecedente

égo tibi meam filiam, bene quicum cubitarés dedi.

Trin. 378

égone | indotátam uxorem ut pátiar? ⧧ patiundúmst pater A,
egone indotatam te uxorem ut patiar? ⧧ patiundumst pater P.

Sensus: *ego nunquam patiar te indotatam ducere*; gravissima igitur pars sententiae deest in A.

Trin. 560

lepide hércle | agro ego hoc húnc senem detérrui A,
lepide hercle de agro ego hunc senem deterrui P.

Quamquam verbum deterrendi nullo alio loco apud Plautum redit, tamen probabile est Plautum *deterrere*, ut postulatur communi ceterorum scriptorum usu, hoc loco cum praepositione *de* coniunxisse. Cf. praeterea quae exposui ad Stich. 293 pag. 24.

Trin. 756

quo pácto | igitur clàm dos depromi potest A,
quo pacto ergo igitur clam dos depromi potest P.

Quamquam *ergo igitur* nusquam apud Plautum redit, tamen hanc locutionem vetustam esse patet. Ritschelius Parerg. p. 569 *ergo igitur* Apulei imitatione firmatum esse putat, locos Apuleianus congessit Hand Turs. II p. 465, adiciendum est Varronis (de l. l. V 24) *itaque ideo*, et loci conferendi sunt, quos collegit Holtze Synt. prisc. script. II 365. Cf. etiam Altenburg, De sermone pedestri, Diss. Gryph. 1898 p. 8 sqq. Recte censet Skutschius de interpolatione nullo modo cogitari posse, nam interpolator tritiorem locutionem inseruisset.

β) Lectionem hiantem falsam esse saltem probabile est:

*Poen. 601

ét quidem quasi tú nobiscum | ádveniens oráveris A,
et quidem quasi tu nobiscum adveniens hodie oraveris P.

Cf. Curc. 660 *tu ut* ***hodie adveniens*** *cenam des sororiam.* Amph. 705 sq. *at pol qui certa res* || *hanc est obiurgare, quae me* ***hodie advenientem*** *domum* || *noluerit salutare.*

Caput V.

§ 9. Pro forma non hiante in archetypum A irrepsit hians.

α) Formam non hiantem veriorem esse patet his locis:

Bach. 496

mélius multo mé quoque una si cum | hoc relínqueres A,
melius esset, me quoque una si cum illo reliqueris P.

Pronomen *hoc* perperam positum esse declarant eiusdem scaenae versus 412. 463. 464. 475. 481. 485. 487. 488. 494, in quibus poeta pronomen *ille* usurpat, ubi Pistoclerum significare vult. Versus Palatinorum praeterea exhibet *melius esset* pro *melius multo*. Prior locutio hoc uno loco apud Plautum usurpatur neque vero videtur esse aliena a sermone Plauti, quippe qui semper fere *melius est* dixerit (secundum Lodge, lex. Plaut. s. v. *bonus*); nam in 35 versibus *melius est* legitur, in 8 versibus *est* omittitur, tamen sine metri detrimento addi potest.

Bacch. 503

ne illa illud hercle cúm malo fecit suo [meo] P.

Sic P voce *meo* perperam adiecta. In A habemus hiatum:

ne | illa id hercle cúm malo fecit suo A

quam scripturam deteriorem esse etsi fortasse certis argumentis demonstrari nequit, tamen patet non solum ex *illaillud* facile *illaid* fieri potuisse, verum etiam P exhibere locutionem usitatissimam. De qua re confer pag. 28 ad Merc. 457.

---

*Poen. 375

sine te exorem, sine prehendam auriculis, sine dem sávium.

Sic P, at in A hiatur in dihaeresi:

sine te exorem, síne prehendam | aúris, sine dem sávium.

Quam lectionem deteriorem esse indicat versus Asin. 668, qui praebet formam *prehende* coniunctam cum ablativo casu: *prehende auriculis, compara labella cum labellis.* Cf. Epid. 1 *heus adulescens, quis properantem me reprehendit pallio?* sic A, *prehendit* P. Theocr. V 132 ὅτι με πρᾶν οὐκ ἐφίλησε τῶν ὤτων καθελοῖσα.

Poen. 386

AG sicine ego te oráre iussi? MI quómodo ergo orém? AG rogas P.

In A *ergo* mutatum est in *ego* cum hiatu in: *quomodo ego* | *orem,* et cum sensus detrimento. Milphio enim indignatus quaerit, cuiusmodi in interrogationibus *ergo* adici solet, cf. Trin. 756 pag. 38. Plures versus affert Hand. Turs. II 453 sq. velut Aul. 744 *ne istuc dixis* ‡ *quid tibi* ***ergo*** *meam me invito tactiost?* Pers. 217 *quo* ***ergo*** (sc. *abis*) *scelus?* Pseud. 914 *istud ego satis scio* . ‡ *cur* ***ergo*** *quod scis me rogas?*

Poen. 574

mitte | istaec . quid velim vos scitis . ‡ callemús probe A,
mittite istaec . quid velim vos scitis ‡ callemus probe P.

Formam *mitte* propter *vos* et *scitis* non ferendam esse apparet. Cf. praeterea Men. 1007 *mittite istunc* ‡ *opsecro te quisquis es operam mihi ut des.*

Poen. 730 sq. tales sunt in A (interpunctio est Leonis)

si exierit leno, quid tum | ? hominem intérrogem
meus servos ad eum veneritne? ‡ quippini.

Pro *quid tum,* quibus vocibus sermo interrumpitur, Palatinorum archetypus praebuit *censen* (censerit B, censent D), quae vox commendatur versu 728 et Rud. 1269 sqq.

si exierit leno, cénsen hominem intérrogem?

Poen. 1357

tuam | ut dixti mihi desponde filiam A,
tuam út dixisti mihi desponde filiam P.

Lectio Ambrosiani non est genuina, quia versus legi nequit.

Pseud. 691

tris ludam | erum | ét lenonem et qui hánc dedit mi epistulam A,
tris deludam erum et lenonem et qui hanc dedit mi epistulam P.

Verba ludendi atque deludendi pari fere significatione apud Plautum exstare monet Langen Symb. p. 17. Cf. autem Amph. 998 *iam hic déludetur* P, ubi *iam | hic ludetur* hiatum efficit, item Amph. 295 *timet homo, delúdam ego illum* P, ubi hiatus esset, si codices praeberent *ludam | ego | illum.* Qui loci (augere autem numerum similibus aliis facile est) satis videntur demonstrare saepius in Plauti sermone eas formas usurpari, quae aptissimae sint ad hiatum evitandum.

Pseud. 1069

hodié quas abs te | ést stipulatus Pseúdolus A,
hodie quas abs te [inde] est instipulatus Pseudolus P.

In P vox *inde,* quae per errorem invasit, expungenda est, ceterum lectionem, qualem restituimus in P, testatur etiam Priscianus I 388. Ad quam lectionem probandam Leo, qui secutus est Buggium Phil. 31, 258 sq., affert Rud. 1381 *ni dolo malo instipulatus sis.* Cf. Buecheler, Umbrica p. 44 et Schlossmann, Mus. Rhen. 59, 369 adn. 2.

Stich. 289 deminutivo tollitur hiatus; veram lectionem unus Codex Vetus servavit:

harúndinem fert spórtulamque et hámulum piscarium B.

In ceteris omnibus codicibus legimus

harundinem fert sportulamque | et hamum piscarium,

quae in metrum cogere non potes.

Stich. 708

tibi propino décumum a fonte, tibi tute inde, si sapis P.

In A altera pars versus hiatum exhibet: *tíbi te | inde, sí sapis;* qua scriptura sensum turbatum esse apparet. Cf. Poen. 1381 pag. 20, ubi *tute* A, *te* P.

Trin. 194

posticulum hoc recépit, cum aedes véndidit.

Sic P cum Nonio p. 384, A et Gellius XVIII 6, 7 praebent versum, qui vel ideo falsus est, quod non potest in metrum cogi:

posticulum | hoc recipit, cum aedis vendidit.

Trin. 535 sq.

alii éxolatum | ábiere, alii emórtui,
alii se suspendere . em nunc hic quoius est . . .

Sic A, at in priore versu Nonius p. 123 testatur *abierunt,* quam formam praebent etiam Palatini. Mirum autem videtur in codicibus nullo alio loco *abiere* legi, sed semper *abierunt.* Quattuor locis *abierunt* metro postulante legitur Cas. 19 (ubi esset hiatus, si *abiere | hinc in etc.* legeretur) Poen. 689. Stich. 137. Truc. 285, duobus Men. 876. Stich. 29 non postulante. Itaque probabile est etiam versum nostrum in Ω exhibuisse *abierunt.*

---

*Trin. 1071

sátin ego oculis pláne video? | éstne hic an non ést? is est.

Sic A. Qua in scriptura pronomen *hic* abhorrere ab usu Plautino iam docuit Fleckeisenus in Ann. phil. t. 93 p. 61 adn. Veram autem lectionem, in qua nihil est, quod offendat, praebet Palatinorum consensus:

sátin ego oculis pláne video? estne ipsus an non ést? is est.

Superest, ut afferam versum hiantem in A, pro quo duo exstant in Palatinis.

Merc. 555 talis est in A:

nunc támen interea ad mé | huc invisám domum.

Pro eo versu duo sunt continui in P:

I nunc tamen interea ad me | huc invisam domum (= A)
II intérea tamen huc íntro ad me invisám domum.

Versum II genuinum esse censet Leo (ad hunc versum), Bach in Studem. Stud. II 206 exemplis confirmavit hanc lectionem

usitatiorem ordinem vocabulorum exhibere; nam in verborum *huc ad me (te)* coniunctione adverbium demonstrativum semper priore loco ponitur. Sed verius fortasse Plautum sic scripsisse censet Skutschius:

nunc támen interea huc intro ad me invisám domum

quamquam *nunc tamen interea* praeterea non invenitur ante Catullum 101, 7.

β) Nunc proferam eos versus, in quibus certa argumenta ad tuendam lectionem non hiantem afferre non valeo:

Poen. 455

quoniám litare néqueo, abi illim | ilico.

Sic A et omnes Palatini, at unus codex Turnebi exhibuisse dicitur *abi illinc dico* voce *dico* falso ex *ilico* orta; certe *illinc* in recensione Palatina videtur exstitisse:

quoniám litare néqueo, abi illinc ílico.

Trin. 556 (cf. Poen. 1357 pag. 40).

me tibi dixisse hoc ⫩ dixti | arcanós sates A

contra quem militat etiam corruptela vocabuli paenultimi

me tibi dixisse hoc ⫩ dixisti arcanó satis P.

Caput VI.

§ 10. Hiatus in A invectus est collocatione verborum immutata.

α) Falsam esse collocationem unusquisque adstipulabitur in iis versibus, quos iam afferam:

Cist. 516 Fília Juno | ét Saturnus A,
Juno filia et Saturnus P.

Usitatum ordinem in P servatum esse constat, ut de inaudita mensura *filiā* taceam. Cf. Asmus, De appositionis apud Plautum et Terentium collocatione, Diss. Hal. 1891 p.26 (Amph. 98. 365. 614. Epid. 636. Men. 408. 854. 1078).

Men. 1132 sq. Menaechmus I. salutat fratrem his verbis

ó salve insperáte multis—ánnis, post quem cónspicor

ad quam salutationem ille ita respondet, ut prior pars versus

iterum in *multis* exeat, id quod poetam consulto ita effecisse consentaneum est:

frater, et tu, quem ego multis—miseriis, laboribus eqs.

Tales versus exstant in P, in A autem species prioris versus est haec:

o salve insperate | annis multis, post quem conspicor.

Ceterum Plautus et *multis annis* et *annis multis* dixit, cf. Lodge, lex. Plaut. p. 132.

Merc. 515 sic traditus est in P

rogáre hoc unum té volo ⫩ rogánti respondébo.

Langen Symb. p. 223 sq. ait vocem *unum* rarius ante quam post pronomen demonstrativum apud Plautum legi ibique complures locos congessit. Cf. etiam Brix ad Capt. 747. A codex exhibet cum hiatu

rogáre | unum hoc té volo ⫩ rogánti respondébo.

Merc. 544

tandem ímpetravi | égomet me ut corrúmperem A,
tandem impetravi, ut egomet me corrumperem P.

Hic id unum ad tuendam lectionem non hiantem dici potest collocationem voculae *ut*, qualis est in P, usitatiorem esse quam in A.

Trin. 244

dá mihi hoc mél meum, si me | audés, si amas A.

Sensus nullus in A. Recte Palatini:

dá mihi hoc, mél meum, si me amas, si aúdes P.

Trin. 419

ratió quidem apparet ⟨h⟩ércle, | argentum οἴχεται A.

Talem collocationem falsam esse docet Kellerhoff l. c. p. 64, itaque vera est lectio Palatinorum

ratio quidem hercle apparet, argentum οἴχεται P.

Trin. 447

homo égo sum, homo tu es, ita me amabit Juppiter P,
homo ego sum, homo es tu, | ita me amabit Juppiter A.

Verior est lectio Palatinorum, nam collocationi *homo ego sum* αβγ apud eos respondet *homo tu es* α′β′γ′, auctor A codicis vel

eius archetypi ex α′β′γ′ fecit α′γ′β′. Brixius confert Most. 305 *tu me amas, ego te amo, merito id fieri uterque existimat.* Cf. etiam Most. 322 *visne égo te ac tu me ampléctare?*

β) Restat, ut afferam versum, in quo mihi non adsunt certa argumenta ad tuendam lectionem non hiantem.

Most. 593

quid áis tu omnium | hominum taeterrume A,
quid ais tu hominum omnium taeterrume P.

Plautus promiscue *omnes homines* (cf. Most. 245. 340. Cist. 774) et *homines omnes* dixit (cf. Poen. 1188 *hominum omnium*). Viri quidam docti offenderunt in inusitata mensura *ăis*. Igitur fortasse ne in P quidem scriptura genuina servata est. Item res se habet in versu

Stich. 261

ventrí reliqui | éccam, quae dicát cedo A,
veterem reliqui eccam illam, quae dicat cedo P.

Versum neque in A neque in P recte servatum esse cognovit Leo; qui quam vere ex *illam* coniciendo elicuerit *aliam* dubito; *eccam illam* autem vel *eccillam* falsum esse constat, nam de lingua, quae mihi praesto est, non possum dicere *illa*, cf. Bach Studem. Stud. II 413.

Appendices.

§ 11. De quibusdam lectionibus grammaticorum.

Praeter eos versus, quibus lectio hians altera codicum classe tollitur, exstant etiam versus nonnulli, quibus hiatui codicum Plautinorum adversantur grammatici. Sunt autem fere hi loci:

*Amph. 739 sq.

séd mulier, postquam éxperrecta | és, prodigiali Jovi
aút mola salsa hódie aut ture cómprecatam opórtuit.

Sic P, at apud Nonium p. 44 legimus: *éxperrecta's té prodigialí Jovi.*

Aul. 399 in P talis exstat

tu Machaério
congrúm, murenam | éxossata fác sient

at apud Nonium bis (p. 17 et p. 95) legitur

congrum, murenam exdorsua quantum potes.

Hic quin lectio Nonii verior sit, nemo unquam dubitavit.

Bacch. 35 in P hiat

quíd si | hoc potis ést, ut taceas, égo loquar? ‡ lepidé licet.

Saepius peccatum esse in transcribendis vocabulis *ut tu* monuimus § 15 (de Pers. 433). Charisius pag. 204 *tu* servavit, qua voce melior fit lectio:

quíd si hoc potis est, út tu taceas, égo loquar? ‡ lepidé licet.

Men. 101

ceriális cenas dát, ita mensam | éxstruit.

Sic P. Festus autem pag. 310 pro *mensam* tradidit pluralem *mensas*, qui numerus commendatur forma *cenas*

ceriális cenas dát, ita mensas éxstruit.

Poen. 356 AP cum hiatu (alcyo AB alycio CD)

quám mare olimst, cúm ibi | alcyo púllos educit suos.

Priscianus I 26 autem et Fronto 225, 14 N tradiderunt sine hiatu:

quám mare olimst, cúm ibi alcedo púllos educit suos.

Paul. 7, 16 testatur formam *alcedo* vetustiorem esse; cf. Cas. 26 *tranquillumst, Alcedonia sunt circum forum;* quibus locis satis confirmatur lectio non hians.

Neque tamen desunt loci, quibus viri grammatici contra codices nostros hiatum tradiderunt, velut:

Aul. 691

perii, mea nutrix, óbsecro te, uterúm dolet.

Sic codices recte, at Nonius pag. 229 *te* omisit

perii, mea nutrix, óbsecro, | uterúm dolet.

Pers. 534

quid metuis? ∓ metuo hércle vero . sénsi ego iam complúriens.

Sic AP, ubi Gellius V 21, 16 vocem *iam* omisit: *sensi* | *ego compluriens* aut *sensi egō compluriens.*

§ 12. De locis quibusdam, quibus Palatini ipsi de hiatu inter se dissentiunt.

Postquam omnes locos perscrutati sumus, quibus in A aut in P hiatur, iam locos nonnullos adiciemus, quibus de hiatu Palatini ipsi inter se dissentiunt. Ei quoque loci testabuntur, quam facile hiatus in codices manuscriptos invadere potuerit. Moneo autem me materiam non exhausisse, nam eos tantum locos afferam, in quos casu incidi.

Ac primum quidem eos locos persequar, quibus B codex non hiat, ceteri Palatini hiatum habent.

Men. 1152

in patriam redeámus ambo ∓ frater faciam | út voles.

Sic CD, at in B (et in A) habemus: *faciam ut tu voles.* Cf. quae adnotavi ad Bacch. 35 pag. 45.

---

*Merc. 485

vin patri sublínere pulcre | ós tuo? ∓ sané volo.

Sic Palatini codice B excepto. Qui praebet cum A:

vin patri sublinere pulcre me os tuo? ∓ sane volo.

Merc. 532

bono animo's : liberabit

ille té homo: ita edepol déperit : atque hódie primum vídit.

Sic B cum A. Ceteri Palatini *ita* omiserunt : *ille te* | *homo edepol . . .*

Most. 175

neque pátiar te | hanc grátiis laudásse, quae placét mi CD,

neque patiar te istanc gratiis laudasse, quae placet mi AB.

Stich. 450.

aliúd posticum nóstrarum harum | aédium CD,

aliud posticum nostrarum harunc aedium AB.

Trin. 520

per déos atque homines dico ne tu | illum agrum CD,

per déos atque homines dico ne tu illúnc agrum AB.

Exstare etiam locos, quibus B contra ceteros codices hiat, non est infitiandum. Velut in versu

Men. 568 habemus in B hiatum, nullum hiatum in CD:

sed pállam non fert . ∓ quid ego nunc cum illó | agam? B,

sed pallam non fert . ∓ quid ego nunc cum illoc agam? CD.

De quo iudicandum est secundum ea, quae ad Mil. glor. 210 p. 22 diximus; eadem pertinent ad vss. Stich. 450 et Trin. 520 modo allatos.

Conclusio.

Haec sufficiant. Nunc vero paucis complectamur, quae in nostra commentatione exposuimus, et perquiramus, quid ex ea redundet.

§ 13

Ac primum quidem plures hiatus repperimus in P quam in A, nam centum et decem fere locos congessi, quibus iam archetypum Palatinorum codicum hiasse cognovimus, in A autem vix octoginta loci hiantes exstant, qui non hiant in P.

Tum monendum est nos tria corruptelarum genera statuisse.

I. Primum hiatus immigravit in alteram recensionem, quod exciderunt vocabula tota, sive per haplographiam in archetypo alterius classis, sive quia superscripta erant in archetypo communi, sive aliqua ratione, de qua non liquet.

Invenimus autem voculas quasdam minusculas saepius intercidisse in utraque recensione, quo adiuvari mihi videntur ei, qui eiusmodi voculis suppletis hiatui mederi student.

Excidit autem

ego Men. 301. Poen. 362. 701 in P,
Cas. 109. Men. 207. Most. 905. Poen. 340. Pseud. 1199 in A.
ex Mil. glor. 791. Pseud. 655. Stich. 431 in P,
Poen. 500. Pseud. 730 in A.
me Pseud. 375. 642 in P,
Mil. glor. 1135. Pers. 349. Poen. 1219 in A.
tu Pers. 184. Epid. 550 (ut tu A, uti P) cfr. quae adnotavi ad Pers. 433 sq. § 15.

est	Epid. 247. Poen. 594	in P,	Most. 767. Poen. 1322	in A.
sunt	Pers. 549	„ „	Epid. 251. Mil. glor. 701	„ „
tibi	Stich. 478	„ „	Epid. 154. Poen. 1053	„ „
in	Most. 673. 950	„ „	Cas. pr. 66	„ „
id	Rud. 576. Stich. 363	„ „	Trin. 385	„ „

Nunc eas voculas proferam, quae nusquam in A, saepius in P exciderunt:

ne Cas. 111. 672. Merc. 461. Most. 937. Poen. 706 (qui⟨n⟩). Pseud. 371. 1315. Stich. 482. Trin. 378.
ea Cas. pr. 47. Men. 561.
hinc Poen. 1148. Pseud. 856.
hodie Most. 1067. Pseud. 373.

II. De secundo autem corruptelarum genere ut agamus, formae quaedam facillime in hiantes immutari poterant:

laudavisse in **laudasse** Most. 760 in P.
dixisti in **dixti** Poen. 1357. Trin. 556 in A.
tute in **te** Poen. 1381 in P, Stich. 708 in A.
uti in **ut** Pers. 696. Trin. 486 in P.
illoc in **illo** Poen. 1061 in P.
illaec in **illa** Mil. glor. 210 in P.
istinc in **hinc** Pseud. 33 in P etc. etc.

Porro quam facile *deludam* in *ludam*, *contollam* in *tollam*, *adiri* in *iri* mutari potuit!

III. De tertio corruptelarum genere id unum adiciamus falsas verborum collocationes inde derivandas videri, quod saepius voces in Ω suprascriptae fuerant.

§ 14.

Magis nunc attinet de archetypi communis specie aliquid proferre.

Atque non tot hiatus in Ω exstitisse quot in codicum nostrorum archetypis perspicuum est; nam multi hiatus, quos aut A aut P exhibent, altera recensione tolluntur i. e. ea lectione, quam genuinam esse, igitur iam exstitisse in Ω demonstratum ivimus. Fuisse vero etiam in Ω hiatus negare non possumus. Satis magnum enim numerum hiatuum AP una praebent, quos si non omnes, at certe aliquam partem Ω codici tribuerim. Omnes vero hiatus ea de causa Ω codici non tribuerim, quod facile fieri potuisse credo, ut voces quaedam aut in margine aut supra lineam ad tollendos hiatus ascriptae sicuti interdum in altera utra recensione omissae sunt, ita etiam in utraque recensione omitterentur. Ergo cavendum est, ne omnes hiatus,

quos AP una exhibent, utriusque recensionis communi fonti i. e. archetypo Ω, nedum poetae ipsi tribuamus, ut facit Lindsay, The Ancient Editions of Plautus (Oxford 1905) pag. 118 sqq. Archetypi communis verbis ne temere credatur, etiam eis locis commendatur, quibus grammatici contra codices Plautinos nullum hiatum praebent.

Non desunt autem, qui non solum eos hiatus, quos AP praebent, sed etiam magnam turbam eorum hiatuum poetae ipsi tribuant, quos in Palatinis solis legunt, id quod nostris temporibus fecerunt Birt, Jacobsohn, Klotz, Maurenbrecher, alii. At hiatuum Palatinorum magna pars est sublata lectionibus palimpsesti, quippe qui plus quam centum hiatus sustulerit. Igitur si totus palimpsestus esset servatus, plus quam trecenti hiatus Palatinorum tollerentur.

Atque etsi a quibusdam viris doctis lectiones hiantes has vel illas damnum traxisse demonstratum est, tamen eos quoque locos hiantes alii quibuscumque possunt machinis defendunt.

Defenderentur autem, nisi altera recensio praestantiorem lectionem servasset, hiatus hi, qui exstant

1. in quinaria senarii iambici
   in P Cas. 92. 590. Epid. 490. Most. 760. 781. Poen. 701. 1061. 1369. 1381. Pseud. 871. Trin. 18.
   in A Cas. 579. 766. Men. 207. Merc. 544. Mil. glor. 23. 1135. Poen. 500. 964. 1015. 1053 (me). 1322. 1351. Pseud. 1069 (te). Trin. 447. 535.
   praeterea Aul. 399 in P contra Nonium.
2. in semiseptenaria senarii iambici
   in P Cas. 600. Pers. 696. Poen. 1053. Trin. 486. Truc. 374.
   in A Poen. 671. 730. Trin. 419. 556.
3. in monosyllabis, quae sunt in thesi
   in P Cas. 111. Poen. 706. Pseud. 197.
   in A Bacch. 496. 503. Mil. 701.
4. in me te
   in P Cas. 672. Epid. 671. Most. 1016. Pseud. 371. Stich. 293.
   in A Men. 207. Merc. 555. Most. 608. 609. Poen. 340.

Quodsi etiam in dihaeresi versuum longiorum et in personarum mutationibus hiatus, qui sunt in altera recensione, praestantiore alterius recensionis scriptura tolluntur, discimus non omnes eos hiatus Plauto ipsi tribuendos esse.

Adiciam autem nunc hiatus, quos defenderet Jacobsohnus, nisi altera recensio eis locis meliorem lectionem praeberet

5. in quarta arsi senarii iambici: Men. 258. Most. 673 et Poen. 430 (ubi personae mutantur), Stich. 431! 478 in P, Pers. 349 in A;
6. in secunda arsi septenarii trochaici: Capt. 907. Most. 992, Pseud. 373! 691! in P, Merc. 457! in A;
7. in sexta arsi septenarii trochaici: Pers. 529. Stich. 373 in P, Stich. 84 in A.

§ 15. De coniecturis quibusdam probandis.

Postquam docuimus, quotiens et qua ratione in alteram utram recensionem hiatus irrepserint, nemo dubitabit, quin ei loci hiantes, qui tantum Palatinis codicibus servati sunt, in suspicionem sint vocandi. Facile enim fieri potest, ut eis locis, quibus Palatini hiant, in Ambrosiani ea parte, quae est deperdita, nullus hiatus fuerit. Saepius autem tales hiatus probabilibus coniecturis sanati sunt aut sanari possunt, quas iam firmari puto eis, quae de corruptelis recensionum A et P observavimus, velut hisce locis:

Most. 976

sit profectus péregre perpotásse | assiduo ác simul.

Hiatum a Skutschio forma *perpotasse* in *perpotavisse* mutata recte sublatum esse videtur testari Most. 760 ubi *laudasse* cum hiatu P, *laudavisse* sine hiatu A praebet.

Stich. 576 scribendum esse censeo cum Leone

quin v o c a v i s t i hóminem ad cenam? ‡ néquid adveniens pérderem.

Leo ea scriptura hiatum removit, qui est in P: *quin vocasti | hominem* . . . Cf. Poen. 416, quem in P non possumus metiri, at in A recte legimus:

dedi dudum, priusquam me e v o c a v i s t i foras A,
dedi dudum, priusquam me e v o c a s t i foras P.

Cf. Epid. 130 *mandavisti* Bentleius, *mandasti* codd. ἀμέτρως.

Most. 1109 sq. tales sunt in P

mè | emunxti ⟛ vide sis satine récte: num mucci fluont?
⟛ immo etiam cerebrum quoque omne | e capite emunxti meo.

Vidimus nonnullis locis in altera recensione esse hiatum cum forma contracta (velut *dixti*), in altera nullum esse hiatum et formam pleniorem. Itaque credo hoc quoque loco formas pleniores scribendas esse

me emunxisti ⟛ vide sis satine recte: num mucci fluont?
⟛ immo etiam cerebrum quoque omne e capite emunxisti meo.

Cf. versum Epid. 494 ubi *me emunxisti* legitur in AP

qui me émunxisti múcidum minumi preti.

Simili ratione emendandus est versus Most. 552, quem, si formam *dixti* codicibus traditam adhibueris, in metrum cogere non poteris:

dixistin quaeso? ⟛ dixi inquam ordine ómnia.

Pers. 433 sq.

mirúm, quin tibi ego créderem, | ut idém mihi
faceres, quod partim faciunt argentarii.

Sic versus legit Leo cum AP. At vocem *tu* post *ut* necessariam esse indicat vox *ego*

mirum, quin tibi ego crederem, ut tu idem mihi.

Vocem *tu* addidit Bothius. Ne in diiambo offendas, lege *tŭ ĭdem mihi,* cf. Klotz Metr. 131 sq.[1]). Cf. Bacch. 35 *ut taceas, ego loquar* P, *ut tu taceas, ego loquar* Charisius, Epid. 550 *si ego te novi animum inducam | uti noveris* P, *inducam ut tu noveris* A. Men. 1152 *faciam | ut voles* CD, *faciam ut tu voles* AB. Eadem coniectura sive emendationem dicere mavis sanandus est

Capt. 678 fateor omnia
facta ésse | ita | ut dicis et falláciis P.

Recte Camerarius: *facta esse ita ut* ⟨*tu*⟩ *dicis.* Cf. Trin. 1132 *ést ita ut tu dícis, sed ego hoc néqueo miserarí satis* P.

Truc. 89

mihi vérba retur dáre se | : an me cénsuit.

[1]) Cf. Cas. 134 quom mihi illa dicet: mi animule, mi Olympio.

Sic ediderunt versum secundum scripturam Palatinorum Goetz-Schoell et Leo; probanda autem videtur Lambini coniectura:

mihi vérba retur dáre se⟨se⟩: an me censuit.

Cf. versum Stichi 84 *in se | admiserint* A, *in sese admiserint* P.

Truc. 400 nullum metrum habet in P:

bona sua me habiturum omnia esse ⟛ ausculto lubens.

Cognovimus interdum metrum turbatum esse, quod voces super versus positae in falsam sedem migraverunt. Itaque probabile est in hoc versu *esse* supra lineam ascriptum fuisse in archetypo Ω et in archetypo P in falsam sedem migravisse, scribendum autem non esse cum Camerario et cum Goetzio-Schoellio: *bona sua med habiturum omnia* . , sed

bona súa me esse habiturum ómnia ⟛ auscultó lubens.

Verbum *esse* saepe apud Plautum post *me* ponitur cf. Truc. 390 *verum adsimulasse me esse praegnatem haud nego,* Pers. 349 *neque me esse arbitror.* Ante infinitivum futuri positum est Pers. 400 *quidnam esse acturum hunc dicam vicinum meum.*

Poen. 301 neque in A neque in P videtur recte servatus

bóno me | esse ingénio ornatam quam aúro multo mávolo A.

In B: *bono me ingenio | esse ornatam* . ., in CD *bono | ingenio me esse ornatam* . . Goetz-Schoell et Leo Bothium secuti ediderunt

bono med esse ingenio ornátam . .

At ego crediderim lectionem genuinam fuisse

bono ⟨ego⟩ me esse ingenio ornatam quam auro multo mavolo.

Voculam *ego* saepe excidisse cognovimus, cf. § 13 s. v. *ego.* Atque hoc loco recte inseri argumento est versus 303, quem Ritschelius ut ab interpolatore ortum optimo iure seclusit. Versus subditicius ex genuino (301) videtur natus, nam talem habet speciem:

bonam ego quam beatam me esse nimio dici mavolo.

Truc. 532

súae fuere | ámbae : earum pátriam ego excidi manu.

Crucem posuerunt Goetz-Schoell; ego sequor Leonem, qui hac ratione versum emendavit:

súae fuerunt ámbae : earum pátriam ego excidi manu.

Cf. Trin. 535 ubi *abiere* cum hiatu A, *abierunt* P et Nonius sine hiatu.

In tribus versibus, qui sequuntur, *uti* pro *ut* scribemus:

Amph. 599

órdine omne, ut⟨i⟩ quicque actumst, dúm apud hostes sédimus.

Deletur hiatus: *ordine omne* | *ut quicque* . . Cf. § 4 β Pers. 696. Trin. 486, ubi P cum hiatu *ut*, A sine hiatu *uti*.

Pers. 685

cruminam hanc emere aut fácere, ut⟨i⟩ remigrét domum.

Sic etiam Leo scripsit. AP exhibent: *fácere* | *ut remigrét domum.*

Poen. 1289

iám pol ego illam púgnis totam fáciam, | ut sit mérulea.

Forma *uti* hiatus deletur: *faciam, ut⟨i⟩ sit merulea.* Cf. Pers. 696. Trin. 486, quos modo attuli.



Index locorum.

Vita.

Natus sum Eugenius Krawczynski a. d. Kal. Apr. anni LXXXI saec. praet. in oppidulo quodam provinciae Posnaniensis, quod vocatur Sarne, patre Maximiliano et matre Olga e gente Gerstenberg, quos pio gratoque animo colo. Fidem profiteor catholicam.

Litterarum primordiis imbutus in schola publica, deinde in schola privata oppidi Gostyn, Halas Saxonum ad parentes matris meae migravi, qui ut gymnasium civicum frequentarem benigne effecerunt. Vere anni huius saeculi I. testimonio maturitatis instructus inter cives universitatis Halensis receptus sum ibique per tria semestria studiis philologicis et historicis me dedi. Deinde per duo semestria Vratislaviae eisdem studiis me dedi. Denique Halas reversus studia continuavi. Idibus Iuliis anni h. s. V. Halis examen pro facultate docendi superavi.

Scholas frequentavi virorum clarissimorum Vratislaviensium: *Baumgartner*, *Foerster*, *Freudenthal*, *Hoffmann*, *Kampers*, *Kaufmann*, *Norden*, *Skutsch*, *Zacher*; Halensium: *Bechtel*, *Blass*, *Dittenberger*, *Fries*, *Ihm*, *Ed. Meyer*, *Maurenbrecher*, *Robert*, *R. Schmidt*, *Uphues*, *Vaihinger*, *Wilcken*, *Wissowa*.

Ad exercitationes me admiserunt viri clarissimi archaeologicas *Foerster*, *Robert*, philologicas *Bechtel*, *Blass*, *Dittenberger*, *Foerster*, *Norden*, *Skutsch*, *Wissowa*, historicas *Cichorius*, *Ed. Meyer*, *Wilcken*, *Kampers*, *Lindner*.

Quibus omnibus viris doctissimis (imprimis vero *Francisco Skutsch*, qui largo suo consilio hanc dissertationem auxit, et *Georgio Wissowa*, qui me Halis in studiis meis philologicis benignissime adiuvit) gratiam maximam habeo semperque habebo.